DE PRONUNTIATIONE LINGUAE GRAECAE SCRIPSIT...

Anastasius Lunzi

DE PRONUNTIATIONE

LINGUAE GRAECAE.

SCRIPSIT

ANASTASIUS COMES A LUNZI

[illegible]

BEROLINI

APUD ENSLINUM.

MDCCCLXIV.

DE PRONUNTIATIONE

LINGUAE GRAECAE.

SCRIPSIT

ANASTASIUS COMES A LUNZI
PHIL. DR.

BEROLINI
APUD ENSLINUM.
MDCCCLXIV.

BEROLINI, TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI

SACRUM.

INDEX.

DE

PRONUNTIATIONE LINGUAE GRAECAE.

PRAEFATIO.

Saepissime meditanti id mihi valde mirum videbatur, qua re hoc, ut ita dicam, paradoxon viri doctissimi sapientissimique non agnoverint, sermonem, qui verba et scribendi rationem servaret, pronuntiationem immutasse. Si quidem dicas, omnes recentiores sermones alios factos esse quam veteres, ex quibus orti sunt, verissime dicas; nam commutationem effecit aetas et diversitas ingenii indolisque nationum et migratio gentium disparum genere et moribus sermoneque. Quodsi lingua Italica et Francogallica et Hispaniensis aliaeque Romanenses a latina pronuntiatione discrepant, idem non sequitur de lingua Graeca, nam hae linguae per se ipsae exstant suis legibus et institutis utentes liberaeque ab auctoritate latina. Dissimiles igitur pronuntiatione sunt, quod elementa, verba, rationes scribendi ceteraque diversa sunt. Hae ex communi Latina, sicut Graeca Latinaque ipsa e Sanscritica aut Phoenicia aut quaecunque traduntur, ortae sunt; nemo autem Graecam ac Latinam et inter se et primitivae similes paresque prorsus esse contendat, nam singulae secundum rationem et proprietatem temporum et nationum et ea, quae extrinsecus valebant, sunt excultae. Quodsi cujus linguae

verba eadem et idem scribendi genus remanserit, inde eadem pronuntiatio sequitur. Porro si natio diu a gentibus diversae linguae indolisque domita, eo modo disposita est, ut peregrina ratio et modus, cum ipsius confusa non sint, lingua in priorem statum redire potest, haec abjiciens quae similiter ac pulvis sordesque ei ut antiquo monumento adhaeserunt.

Lingua Graeca ita se habet, ut anima, quae eadem quidem est, depravata materia alia appareat, similis Glauco Platonico in Republica (lib. X p. 611 *D*), cujus verba haec sunt. *Ὥσπερ οἱ τὸν θαλάττιον Γλαῦκον ὁρῶντες οὐκ ἂν ἔτι ῥᾳδίως αὐτοῦ ἴδοιεν τὴν ἀρχαίαν φύσιν, ὑπὸ τοῦ τά τε παλαιὰ τοῦ σώματος μέρη, τὰ μὲν ἐκκεκλάσθαι, τὰ δὲ συντετρῖφθαι καὶ πάντως λελωβῆσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, ἄλλα δὲ προσπεφυκέναι, ὄστρεά τε καὶ φυκία καὶ πέτρας, ὥστε παντὶ μᾶλλον θηρίῳ ἐοικέναι ἢ οἷος ἦν φύσει, οὕτω καὶ τὴν ψυχὴν ἡμεῖς θεώμεθα διακειμένην ὑπὸ μυρίων κακῶν.* Talis etiam lingua Graeca et eadem divina immortalisque est, quamquam tot res aspersae sunt, quae tempore removeantur, ut alga cochleaeque a corpore lacerato Glauci. Heros ille vivit et vita ejus vulneribus medetur et cicatrices propulsat, et ipse liberatus vinculis marinis in patrio solo perpetuo vigescit. Nam extremo habitu laeso et corrupto, tamen vires naturamque non mutavit. Ceterum constat sermonem, quo hodie Graeci humanitate politi utuntur, monstruum non esse, sed ipsam linguam antiquam ornatu elegantiaque privatam[1]). Ea igitur ha-

[1]) Vide Eichhoff (Parallèle des langues de l'Europe et de l'Inde p. 36), Cette langue qui a traversé tant de siècles est en-

benda est, nec quisquam in errorem inducatur, argumentationibus philosophis, ut hanc filiam veteris linguae Graecae a Slavico sermone generatam esse putet. Quodsi quis dicat, idem semper ex iisdem causis sequi, et protinus hanc rationem ad artem metricam et ad historiam et ad quamlibet aliam rem adhibeat, vehementer fallitur, nam idem non efficitur, nisi res eadem est, quae afficitur. Itaque falsa est haec argumentatio: omnes nationes subjectae sermonem suum mutaverunt, nonnullae prorsus amiserunt; natio autem Graeca, cum maxime barbaris gentibus subjecta ab iisque populata fuerit, si non linguam suam amiserit, tamen certe mutasse et manifesto pronuntiationem quoque, necesse est. Quo modo non vir philosophus sed indoctus ignarusque rerum iudicat, qui nationem, quae sermonem litteris et monumentis ad summum fastigium evexerit, populum, cujus cives vel infimi ordinis laudibus et carminibus majorum excitabantur et incendenbantur, Gallis vel Britannis aequare audeat. Quod argumentum falsum esse historia demonstrat. Graeci Romanos, qui imperio orbem terrarum tenebant, erudiverunt et invicem gratissimo animo praeceptores suos diligebant eosque aequare in maxima gloria ponebant. Haecine igitur gens omnibus

core vivante de nos jours, affaiblie, mais non défigurée, dans le Grec moderne ou Romaïque. Confer. Philelphi Epistt. fol. III ed. Paris 1503 et Elissen (Verhandlung der dreizehnt. Versammlung Deutsch. Philolog. in Göttingen p. 126 et sqq.), qui pravam doctrinam virorum Fallmerayer, Kreuser, Heinschen, Heilmaier prudenter commemorat et recenset. Confer. etiam Telfy (Stud. üb. d. Alt- u. Neu-Griechen p. 25 sqq.).

artibus liberalibus ita erudita, tanto Romanis superior litteris, barbaros Slavosque imitata sit? Barbari et Slavi omnesque priores et posteriores domini Graecis se assimilabant, nunquam Graeci in contrariam partem, teste historia.

Graeci semper se suamque linguam proprio singularique modo excoluerunt, id est, res alienas et adventicias suo mutatas ingenio indoleque exceperunt. Radices igitur elementaque verborum aliena esse possint, sed forma speciesque Graecae sunt adeo, ut saepe illa agnoscere nequeas. Quare alienis novisque abjectis sermo non solum suam originem vigoremque servat sed diu etiam manet et perdurat.

Quibus dictis linguam Graecam eandem omnino et plane immutatam esse non contenderim; sed mutationes et conversiones, quae ponantur, ex indole et ingenio et eruditione ipsius nationis nec a barbaris gentibus diversis genere, lingua victuque profectas esse[1]). Pronuntiationem autem, de qua nunc agitur, prope eandem tempore barbari imperii ac regum Ptolemaeorum et Romanorum imperatorum monumentis illius aetatis invenimus. Sin hoc tanto spatio temporis, universo cultu et disciplina quasi ex alieno arbitrio conformatis, pronuntiatio mutata non est, quando tandem hoc acciderit? Num illo tempore, quo Athenis sermo communis ex diversis dialectis conformaretur, an aetate Alexandrina? Et profecto hoc etiam in genere sermo Atticus, ut poësis et artes, medius esse inter asperum gravemque Doricum

[1]) Vide Bernhardy, Grundriß der Gr. Litt. I p. 17.

atque mollem alacremque Ionicum videtur. Deinde ex Attica dialecto sermo communis natus est, qui quidem subtilem elegantiam et eximium splendorem perdidit, nunquam tamen naturam peculiarem ac pronuntiationem, nam de illa quidem re multa documenta, de hac autem nulla nos certiores faciunt. Jam igitur dialectorum indolem consideremus.

DE DIALECTIS.

§ I. De dialecto Poëtica.

Primum modo breviter genus, quod grammatici poëticum nuncupant, commemoremus, id est epicum, cujus auctor Homerus traditur, quod maxime antiquiore dialecto Ionica minus effeminata sed nihilo magis quam Aeolica et Dorica constitisse vulgo arbitrantur. Cujus generis indoles postea variata est, prout una aut altera dialectus praevaleret. Quam, cum dumtaxat quendam ex singulis dialectis quasi colorem duxerit nec ullum proprium aut peculiarem dicendi modum habeat, nunc praetermittam, nonnulla tamen, ubi de dialecto Attica agetur, afferam.

§ II. De dialecto Aeolica.

Dialecti sunt differentiae unius ejusdemque linguae, quae pereunt universo doctrinae progressu, sunt igitur species quaedam universae, deinde in primordiis lin-

guarum plerumque inveniuntur. Sic populus Graecus in singulas stirpes distributus et in varias regiones dispersus, propriam cujusque indolem moribus praecipueque lingua, significatione suorum cogitatorum sensuumque, patefecit. Quae variae gentes natura coeli et regionum victuque singulariter animum et mentem formantes linguas singulares excoluerunt.

Qui initio Graeciam tenuerant, etiamsi alios aliosque memoria antiquitatis tradit, Pelasgos vel Aeoles, qui iidem videntur fuisse, judicamus, Herodoto auctore (lib. VII. 95): *Αἰολέες δέ — καὶ τὸ πάλαι καλεόμενοι Πελασγοὶ ὡς Ἑλλήνων λόγος.* Aeoles igitur ubicumque Pelasgi domicilia habent, tota paene Graecia, exceptis Attica, Megara, Doride, ex sententia Strabonis (lib. VIII p. 513): *πάντες οἱ ἐκτὸς Ἰσθμοῦ πλὴν Ἀθηναίων καὶ Μεγαρέων καὶ περὶ τὸν Παρνασσὸν Δωριέων καὶ νῦν ἔτι Αἰολεῖς καλοῦνται — καὶ οἱ ἐντὸς Αἰολεῖς πρότερον ἦσαν.* Ambo ergo disjungi non possunt. Itaque minime falsum sit, si Aeolicam antiquam et communem linguam Graecam eamque divisam in varias species, quae dialecti Dorica et Ionica sunt, et in partes id est, Arcadiam, Boeotiam, Thessaliam aliasque, fuisse dicamus. Quae quasi mater, ex qua aliae natae sunt, natura, e contrario Attica ratione magis et arte progressa est, id est, ut omne discidium evitem, illa magis ore et voce, haec litteris, quamobrem illa quidem jam pridem interiit, haec autem diu remansit. Ex illa quidem, specie et imaginibus rerum mutatis, multae dialecti ortae sunt, nam perpetuo, ut ita dicam, in ore hominum nascebatur, haec autem legibus et regulis ita continetur, ut aliae dialecti inde gigni ne-

queant, nam est et constat, atque copia rerum eadem permanente solum formae et modi dictionis mutantur. Denique ex illa dialecti, ex Attica genera dicendi prodierunt.

I. Dialectum Aeolicam primum praecipueque per grammaticos, quorum sententiae caute adhibendae, nullo autem modo despiciendae nec velut ineptiae repudiandae sunt cognovimus; praeterea ex paucis titulis denique ex poetis, qui minime multa propria et peculiaria tradunt, quod poetica dialecto scripserunt, cui tantum color quidam Aeolicus est.

Aeolicae dialecti indoles vetusta austeraque est. (Scholl. Dion. Thrac. in Bekk. Anecdot. 661, 28.) *Τὸ δ' Αἰολικὸν τῷ τ' αὐστηρῷ τῆς διαίτης καὶ τῷ τῆς φωνῆς ἀρχαιοτρόπῳ.* In monumentis antiquis passim digamma invenimus[1]), quod ipsis proprium Aeolicum nominatur et posteriore tempore sensim evanuit. (Ibidem p. 778.) *Πάντα τὰ στοιχεῖα κατὰ πᾶσάν ἐστιν εὑρίσκεσθαι διάλεκτον· τὸ δὲ δίγαμμα οὔ, ἀλλὰ παρὰ μόνοις τοῖς Βοιωτοῖς καὶ τοῖς Αἰολεῦσιν.* Quod spiritum asperum nesciunt, memorabile est, velut hic recentior esset; quamobrem Eustathius *ψιλωτὰς* Aeoles dicit. Quo facile animus inducatur, ut spiritum asperum nisi forte ipsum digamma certe ex illo ortum esse existimet, id quod Melampi verba firmant. (Anecdot. Graec. Bekk. 777, 15.) *Τὸ γὰρ εὑρισκόμενον παρὰ τοῖς Αἰόλεῦσι δίγαμμα οὐκ ἔστι γράμμα — ἔχει δὲ τύπον τόνδε F — ὃ προστιθέασιν οἱ Αἰολεῖς ἑκάστῃ λέξει παρ' ἡμῖν δασυνομένῃ, αὐτοὶ*

---

[1]) Vid. C. Inscr. Nr. 11.

ψιλοῦντες πᾶσαν λέξιν. Digamma ipsum aspiratio quaedam est (ibidem) *τὸ εὑρισκόμενον παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι δίγαμμα οὐκ ἔστι γράμμα.* Ceterum aliquanto a spiritu aspero diversum est, quem Latini et Graeci figura *H* significabant; illi enim magis natura et pronuntiatio consonans est, quare Latini id per *F* et *V* Graeci *β* et *υ* exprimebant. Eodem modo Aeoles agebant (vide *F*), qui praecipue et saepissime pro *F*, litteras *B* et *Y* interponebant. Itaque eorum indolem rectissime Heraclides apud Athenaeum (XIV p. 624) his verbis designat. *Τὸ ἦθος τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες ἔτι δὲ ὑπόχαυνον.* Ita quidam hiatus et *χασμῳδία* nascitur, quod verbum *ὑπόχαυνον* aperte et quasi rem ipsam imitans declarat, non solum in vita sed in sermone etiam ipso Aeolensium. Altera significatio *γαῦρον* et *ὀγκῶδες* est, quae gravitas accentibus gravibus continebatur, itaque Eustathius eos *βαρυντικοὺς* appellat. Praeterea quod consonantes earumque duplicationes amabant et asperiores vocales prae mollioribus ut *α* prae *η* praeferebant, saepissime diphthongis propriis ceterisque in dialectis ignoratis, utebantur, ut in vocalibus *τάλαις* et *μέλαις* videmus, quas nullam diaeresin tolerare Herodianus dicit. (Anecdot. Graec. Oxon. IV, 4162, 13) *αἱ γὰρ δίφθογγοι Αἰολικαὶ οὐδέποτε τοῖς Αἰολεῦσι διαλύονται, οἷον τὸ τάλας καὶ μέλας καὶ ὄνειρος, οἱ Αἰολεῖς τάλαις καὶ μέλαις καὶ ὄνοιρος λέγουσι· καὶ οὐ διαλύουσι τὴν δίφθογγον ἐπὶ τούτων, ἐπεὶ Αἰολικαί εἰσιν αἱ δίφθογγοι· κατὰ γὰρ τὴν τῶν Αἰολέων διάλεκτον γεγόνασιν· τὸ δὲ Προίτου, καὶ κοίλον διαλύουσι καὶ λέγουσι Προΐτου καὶ κόϊλον ἐπειδὴ αἱ δίφθογγοι αὗται οὐκ εἰσιν Αἰολικαὶ ἀλλὰ*

κοιναί. εἰ οὖν τὸ σύνοιδα διαλύουσι συνόϊδα λέγοντες, δῆλον ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ οι δίφθογγος Αἰολική. Hoc dictum valde obscurum et ambiguum est. Quaenam illae propriae Aeoliae diphthongi fuerint? Solum in vocabulis *τάλαις* et *μέλαις* diphthongus *αι* propria et peculiaris aeolicae dialecti pro *α* est, non *οι* in *ὄνοιρος* nisi forte, quia *οι* pro communi *ει* in *ὄνειρος* scriptum est, arbitreris. Hic locus manifesto, diphthongos alias separatim alias conjunctim pronuntiatas, et posteriorem modum Aeolicum, certe in iis quas proprias appellat, esse dicit. Nonnulli grammatici exempli causa Gregorius Corinthius ed. Schaefer p. 582 dicunt. *Τὰ εἰς αῖς μονοσύλλαβα ὀνόματα διαιροῦσι, πάϊς λέγοντες καὶ δάϊς τὸ παῖς καὶ δαῖς.* Difficile est dijudicare, utrum hae omnes semperque disjunctae an nonnullae et certae quaedam fuerint, nam haec exempla dubia videntur esse. Latini, qui jure Aeoliis cognati habentur (Athenaeus X. p. 425, *οἱ Ρωμαῖοι — πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι.* Quintilian. Inst. Orator. lib. I. 6. 31 „cui (Aeolicae) est sermo noster simillimus.") puer similiter ut *πάϊς,* Attici *παῖς,* Alcaeus, Sappho, Homerusque utrumque *παῖς* et *πάϊς,* sed taeda (tēda) ex *δαῖς,* Attici *δᾳς* ex *δαΐς* dicunt. Aliarum diphthongorum diaereses incertae et dubiae sunt, multasque grammatici studio nominum rerum interpretandorum (vide Ahrens de dialect. Aeolic. § 18) afferunt, aliasque poetae Lesbiaci, qui libere et licenter linguam carminibus accommodabant, qua poëtica licentia Latini quoque poëtae, ut Virgilius vetustatis amantissimus, Lucretius ceterique utuntur, ut *ae* in *ai* dissolverint, quas formas antiquiores esse conjicias. (vide Quintil. I. 7, 18.)

Aeoles in universum una cum Doribus contrarii Ionicae indoli diaereses et vocales molles easque cumulatas minime amabant, sed longas gravesque ut *α* pro *η* et contractiones duplicationesque, consonantibus in locum vocalium succedentibus ut *ὀφέλλω, φθέρρω, χέρραι* pro *ὀφείλω, φθείρω, χεῖρας*. Methodius in Etym. Magn. in vocabulo *ἄλλως: Εἰώθασι γὰρ οἱ Αἰολεῖς διπλασιάζειν τὸ ἀμετάβολον καὶ συστέλλειν τὰς ὑπερικειμένας συλλαβὰς εἴτε φωνῆεν ᾖ εἴτε δίφθογγος.* Diaereses igitur diphthongorum nec omnino propriae nec unice peculiares Aeolum sunt, quorum indoli in universum repugnant. Qua re vera ratio haecce est. Quodsi diaereses probamus, has modo in primordiis linguae quasi in infantia statuemus, tum vero, lingua progressa, diphthongi, nimirum non eae quae videntur aut quae digammo disjunguntur, contrahi coeptae sunt, denique illa etiam magis perfecta, non solum diphthongi contractae remanebant sed complures etiam vocales in unum sonum confundebantur, ita ut lingua formis compactis firmisque constricta diutius vigeret et floreret. Quod idem in progressu Latinae ceterarumque linguarum secundum propriam cujusque indolem invenimus. Graeci quidem ratione et praeceptis, Latini autem usu et actione publica eruditi, suam utrique indolem proprio cultu linguarum expresserunt. Graeci ergo varias diphthongos et vocales aequaliter aut similiter sonantes, non in unam simplicemque vocalem redegerunt ut Latini, sed omnes servaverunt aliasque litteras addiderunt, quare lingua Graeca varia et copiosa et mobilis et idonea ad omnes res significandas, contra Latina sim-

plex et sine ulla varietate parum est flexibilis. Ac recentiores, quae ex latina ortae sunt, deformes verbis truncatis et magis etiam horridae et immobiles. Dialectus igitur Aeolica, quo modo lingua progressa sit, indicat, jam vero Boeotiam et Thessalicam et affines tum Doricam et Ionicam perlustremus, ut quam ingeniose et eleganter in Attica oratio exculta sit, quam certis formis omnique tempore valentibus instructa sit, videamus. Singula dialecti Aeolicae indolisque praetermitto, nam ex dialectis, sicut apis ex varia copia florum illum sucum solum, qui melleficio, ita qui meae operae et labori opportunus est, conquiro. Pariter ceteras dialectos tractans ex singulis communia, quae jam pro meo judicio offero, investigavi. Singula tamen quoad proposito apta sunt, in ratione consonantium et vocalium pronuntiandarum commemorabo.

II. Dialectum Boeotiam grammaticis et inscriptionibus docentibus partem Aeolicae esse constat. Quae ingenium Aeolicum, id est, priscum et primitivum adeo servavit cujusque cultus ita naturalis est, ut jure Atheniensibus barbara videatur. Ahrens (de dialect. Aeolic. § 49) ait: „Boeoticam dialectum Atticis auribus satis barbaram visam esse, docet Eustathius (p. 304. 2) *ὅτι δὴ τὸ τῶν Ἠλείων ὑποβάρβαρον ἐσκώπτετο, δηλοῖ ὁ ἐν τῷ ἐρωτηθῆναι, πότερα Βοιωτοὶ βαρβαρώτεροι τυγχάνουσιν ὄντες ἢ Θετταλοὶ, φάμενος ὡς Ἠλεῖοι.*“ Cum dialectus Eleorum tum Thessalorum barbara visa est, nam utraque in primo gradu eruditionis remansit. Quae eadem antiquis litteris maxime utebantur, et *η* et *ω* rarissime, in quarum loco litterae, *α*, *ε*, *ει*, et

ο, οι erant, exempli causa in foedere Eleorum et Heraeensium (Corp. Insc. Nr. 11) *Fαλειοις* pro *Ἠλείοις, ΕϱFαοιοις* pro *Ἡϱαώοις, τοι* pro *τῷ, πολέμο, ἀϱγυϱο, Ολυμπιοι, ἐπίαϱοι* pro *πολέμῳ, ἀϱγύϱῳ, Ὀλυμπίῳ, ἐφιάϱῳ* etc.[1]). Monumenta omnia, quae commemorare ad rem parum pertinet, has dialectos non multum progressas quasi in initio doctrinae haerere docent. Nisi quod alia aliaque, nonnulla Dorica inprimis Laconica assumpserunt, dialectus tamen Aeolica prorsus fundamentum est. Strabo VIII p. 333. *Ὅσοι μὲν οὖν ἧττον τοῖς Δωϱιεῦσιν ἐπεπλέκοντο, (καθάπεϱ συνέβη τοῖς τε Ἀϱκάσι καὶ τοῖς Ἠλείοις) οὗτοι Αἰολιστὶ διελέχθησαν.* At Boeotius sermo praeter antiqua quaedam Aeolica, multa ex dialecto Dorica assumpsit aliaque recentiora recepit, cum populus commercio Atheniensium uteretur et patriis carminibus et cognitione quadam ceterarum Graecarum artium paulatim instrueretur.

Haec dialectus admodum singularis, varia, inculta videtur, nam particulas propriae et alienae doctrinae, prioris posteriorisque temporis cum confusim tum separatim adoptaverit. (Thucydid. lib. I. 2.) *μάλιστα δὲ τῆς γῆς ἡ ἀϱίστη ἀεὶ τὰς μεταβολὰς τῶν οἰκητόϱων εἶχεν, ἥ τε νῦν Θεσσαλία καλουμένη καὶ Βοιωτία.* Profecto antiqua et nova, peculiaria et communia facile deprehendimus praecipue in modo scribendi, nam Boeoti, cum suum sermonem minus litteris quam ore excoluerint, saepissime vocales, quae pronuntiatione similes videbantur, ut *αι, οι, ει, η, υ, ι,* invicem mutabant. Quas

[1]) vid. Ahrens de dialect. Aeolic. p. 280.

mutationes factas esse vocalibus consonis, cum simul illis tum *η* tum *ι*, tum *οι* tum *υ* eademque ratione ceteris uterentur, deinceps docebimus. Vocalium deinde mutationes ortas ex diversa pronuntiatione existimari opus non est, sed naturae linguae, quae in ore hominum gignitur, convenire, illas mutationes in significationibus sonorum versari. Quas ergo differentias complures *ἀνορθογραφίας* potius dixerim. Cum homo Boeotus rudis, qui solam scripturam novit, titulum quendam scripsit, non ratione sed secundum pronuntiationem, id quod simile vel aequale apparebat, licenter per varias litteras suis auribus pariter sonantes notaverit.

Boeotica dialecto perlustrata mirum est, pronuntiandi modum, quem Itacismum nunc Germani vocant, tantopere inveniri, magis etiam quam hodie; illi enim diphthongum quoque *αι* semper similiter atque H, i. e. longum I (vide H), nostrates autem atque *ae* pronuntiant, paucis exceptis quibus vulgus utitur, ut *παληὸς* una cum Boeotis pro *παλαιὸς*, *ἥ* pro *αἵ*, *γρῆα* vel *γριὰ* pro *γραῖα*, *ἐλιὰ* pro *ἐλαία* etc. Boeoti igitur propter hanc causam naturae convenienter simpliciores vocales, *α*, *ι*, *υ*, *ο*, priore aetate magis quam compositis *ει*, *η*, *αι*, *οι*, *ω* utuntur. Postea litteris magis eruditi utrisque rationibus tum illis ut *υ* et *ι* secundum pronuntiationem, tum alteris *οι* et *ει* normam rectam scribendi sequentes utebantur. Quamobrem viris doctissimis Boeckh et Ahrens dissentio. Ahrens (de dialect. Aeolic. p. 218 § 49): „Verissime, ait, Boeckhius C. Ir. p. 718 judicavit, ex hac ipsa similitudine Boeoticae scripturae et Neo-Graecae pronuntiationis apparere, non recte reliquis Graecorum

dialectis Neo-Graecam pronuntiationem obtrudi, quia, nisi Boeoti diversa a reliquis pronuntiatione usi essent, non intelligeretur, cur scripturam mutassent. Cui argumento haud exiguum momentum accedit, si recte (§ 41) suspicati sumus, propter ipsam Boeoticae pronuntiationis a vicinis populis discrepantiam, scripturam novatam esse."[1]) (v. Telfy p. 121.) Ex Boeotica igitur dialecto praecipue et ex aliis ut Thessalica, Eleica ceterisque, quae paucae sunt, ore et natura excultis obsoleta et prisca, quae barbara Atheniensibus videbantur, discere possumus. Praeter discrepantias antea memoratas aliae sunt, ut frequentior spiritus asper et prosodia more Dorico et usus novarum consonantium et vocalium Jonicae, quae vocatur, scripturae documenta sunt posterioris temporis non posteriorum grammaticorum, ut Ahrens (d. d. A. § 34) contendit. „Non minus, ait, quam barytonesin recentiores Boeotis psilosin tribuere solent, quia Aeolica vocatur. Aspero tamen Boeotos usos esse,

---

[1]) Boeotis plurima cum Aeolibus sunt communia ut digamma. (Scholl. Dion. p. 778. 9): *παρὰ μόνοις τοῖς Βοιωτοῖς καὶ τοῖς Λάκωσι καὶ τοῖς Αἰολεῦσιν,* et spiritus asper rarior est titulis et grammaticis docentibus, et gravem accentum aliquando amabant, propterea multa vocabula formasque antiquissimas habebant, exempli causa *κρίδεμεν* item Latini, ridere (Ahrens d. dial. Aeolic. § 37), genitivum in *οο* pro *ου* exeuntem, dativum *οε* ut in titulo Tanagr. 1599. *Διονύσοε,* tum in *οι,* quae diphthongus ipsa non pro *ῳ* posita est, sed *οι* antiquior forma dativi ut in *οἴκοι* adverbio videtur fuisse, et *υ* dativi ut *τὺ* est pro *τοί,* postea pro *τῷ,* nam *ῳ* miníme aequalis illi *υ* esse potest; porro *αε* pro *αι* et *οε* pro *οι* et *ου* pro *υ,* quas formas fortasse Latini ab his acceperunt etc.

certissimum est." Quod Aeolicum idem fere semper Boeoticum est, et Boeotis aspero usos esse consentaneum est sed rarissime antiquis temporibus. Boeotorum dialectus, ut dictum est, barbara habebatur, nam hi et prisca et nova servabant et confundebant, sed nihilominus ingenua et Graeca est.

In dialecto Aeolica nonnullas diaereses animadvertimus. Boeotica quoque exempla, ubi *αε* et *οε* pro *αι* et *οι* esse videntur, nobis praebet. Postea diphthongos *αι* et *οι* litteris *η* et *υ* reddebant, quod, has diphthongos uno sono pronuntiatas esse, testatur. Ita in Boeotorum dialecto id quod in Aeolica diximus, primitivo dumtaxat tempore, quo sermo formabatur, diaereses diphthongorum invenimus, sed lingua aliquantum progressa has omnes diaereses desiisse.

III. Thessali Aeoles fuisse traduntur. Sermo igitur Aeolicae originis, quales et a grammaticis et paucis scriptis reliquis affirmatur. Thessali praecipue Hellenes esse dicuntur, qua de re nonnulli ut Salmasius (de Hellenist. p. 405 sqq.) eorum linguam antiquissimam habent. Thucydides (l. I. c. 3): *τοὺς μετ' Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος, οἵπερ καὶ πρῶτοι Ἕλληνες ἦσαν.* Ab Atheniensibus barbara habebatur, qua de re jam supra in dialecto Boeotia egimus, nam prisca et absoleta est; multas igitur antiquissimas formas servavit, et vocalibus *η* et *ω* recentioribus raro utebatur, sed pro illis *α* aut *ει*, *ο* et *ου* aut *οι*, velut C. I. Nr. 1766 *θύτας* pro *θύτης*, *ὀνέθεικε* pro *ἀνέθηκε*, *Ἀπλουνι* pro *Ἀπόλλωνι*, *κερδοιοι* pro *κερδῴῳ*. Vide Ahrens D. A. § 50 (Giese Aeolisch. Dialect p. 59 sqq., qui hoc loco vocabulo *ΠΟΛΕΜΑΡ-*

ΧΙΔΑΙΟΣΟ ... mirabunda conjecit). Cujusmodi formae hae sunt. C. I. Nr. 1767 *Αἴσχυλις, Σάτυροι* Genitivi pro *Αἰσχύλου Σατύρου*, quos principio *Αἰσχύλοιος Σατύροιος* fuisse opinor[1]).

Thessali pariter ac Boeoti diphthongos non dividebant nisi forte prisca aetate in quibusdam vocabulis, nam diaeresis diphthongi *αι* in *αε* modo Latinorum esse videtur. Ahrens (de d. Aeolic. § 41, 3): „Unica, ait, exempla extra Boeotiam novi *Λαρισάεον* in nummo Thessalico et *Ϙορας* in vase antiquo Musei Gregoriani quod descripsit Abeken in Annalibus instituti Archaeologici 1836. Vol. VIII. fasc. II." Haec dialectus etiamsi parce servata neque admodum litteris culta, tamen memorabilis est, nam multa ultimam antiquitatem redolent et quamquam parum progressa est, tamen nobis argumentum praebet, quemadmodum iidem Thessali dissolutas et disjunctas vocales formasque syncope vel contractione conjungentes et copulantes linguam pro suis viribus et facultatibus, quasi corpus ex liquida vastaque materie finxerint. Ad dialectum Aeolicam supplendam dialectos Eliorum et Arcadum breviter commemorabo, quia hae ipsae ut antecedentes simplicitatem antiquae linguae patefaciunt.

IV. Dialectus Eliorum, species quaedam Aeolica est, quodsi fieri non potuit, quin a vicinis Lacedaemoniis, quantum ex paucis monumentis antiquitatis deprehendere possumus, nonnihil adoptaverint, tamen in universum dialectus Aeolica est (Strabo VIII. p. 513).

---

[1]) vid. Ahrens de dial. Aeol. § 50, 5.

Quorum dialecto in primis vestigiis doctrinae rudis et austera remanente, Elii jure *βαρβαρόφωνοι* nuncupantur. Hesychius vocabl. *βαρβαρόφωνοι. Οἱ Ἠλεῖοι καὶ οἱ Κᾶρες ὡς τραχύφωνοι καὶ ἀσαφῆ τὴν φωνὴν ἔχοντες.* Eustath. 279, 34. *καὶ αὐτοὶ (οἱ Ἐρετριεῖς) καὶ οἱ Ἠλεῖοι βαρβαρόφωνοι ἐκαλοῦντο.* Id. p. 304, 2. *ὅτι δὲ τὸ Ἠλείων ὑποβάρβαρον ἐσκώπτετο* etc. Res per se intelligitur. Ahrens hanc propter aliquas similitudines cum Dorica Pseudoaeolicam nominat, eodemque jure Pseudodoricam nominasset, pariterque omnem aliam dialectum *ψευδῆ*, simulatque paulum a vera origine quibusdam formis modisque praecipue propriis vel similibus alius dialecti assumptis declinasset. Rectissime Giese (Aeolisch. Dialect p. 66) judicavit. Nur eine einseitige Vorliebe für die *Dorier* konnte bei einigen den Blick für die Auffassung der Dialecteigenthümlichkeiten so trüben, dafs sie den *Eleern* einen strengen *Dorismus* liehen, den *Arcadern* einen *Dorismus* vindicirten, wo dieselben mit gleichem Rechte oder Unrechte auch dem *Aeolischen* anheimfallen.“ Quid multa. Praetermittenda haec dialectus est, quia ipsius propria et peculiaria pauca restant.

V. Arcades judicio Strabonis (VIII. p. 513) *Αἰολιστὶ διελέχθησαν* (vide Boeotica). Nec mirum est, quod iidem Arcades nonnihil Dorici sermonis adoptaverunt, praesertim civitates, quae finibus Lacedaemoniorum vicinae erant; praeterea enim Arcades, commercio Lacedaemoniorum utebantur, frequenter bella invicem gerentes. Paucissimis inscriptionibus Tegeatibus et Megalopolitanis et a grammaticis docemur, sermoni Arcadum

2

praeter communia cum Aeolibus et aliena aliquid proprium et peculiare inesse, ut unicuique populo Graeco, quod quasi idioma quoddam sermonem eorum dialectum effecit et Aeolicam quidem. In monumentis paucissimis et discrepantibus difficile est, indolem prorsus designare, certum tamen est, partem esse Aeolicam, nam et primos incolas Pelasgos sive Aeoles et Arcadiae Pelasgiam nomen fuisse Pausanias (p. 599) tradit. Indoles autem Arcadum quamquam Aeolia prope ad Doricam accedit, atque adeo austerior et durior est, quippe cum a gente in regionibus montuosis et asperioribus cum gregibus vaganti coleretur. Nimirum coeli et regionis condicio magno momento ad formandum ingenium populi est, et rectissime Athenaeus de antiquis moribus Lacedaemoniorum, Cretensium Arcadumque disputans haec dicit (p. 626 D.): *ταῦτ' οὖν αὐτοὺς εἴθισαν οἱ παλαιοὶ — θεωροῦντες τὴν ἑκάστου κατὰ τὸν βίον σκληρότητα καὶ τὴν τῶν ἠθῶν αὐστηρότητα τὴν κατὰ πλεῖστον ἐν τοῖς τόποις ὑπάρχουσαν, οἷς καὶ ξυνωμοιοῦσθαι πεφύκαμεν πάντες ἄνθρωποι.* Illam *σκληρότητα* et *αὐστηρίαν τῶν ἠθῶν* in sermonem quoque transduxerant, tum praevalentibus gravioribus consonantibus ut *ζ* pro *β*, *ρ* pro *λ*, latioribus vocalibus ut *α* pro *η*, cum contractionibus iisque longe lateque sonantibus ut *α* et *αυ*. Ita Arcades magis illud *ὀγκῶδες* Aeolum quam hoc *γαῦρον* et *ὑπόχαυνον* excoluerunt.

Sed omnino dialectus Aeolia sensim effeminatur et mollitur Boeotis potissimum probantibus et poetis Lesbiis, qui tamen multum epicae orationis vindicabant. Aeolica igitur dialecto deliciae dulcis Amoris et voluptates suavis

Veneris a Lesbiis Musis inprimis a Sapho, quam apte *μελλιχόμειδα* Alcaeus (ed. Bergk. Fr. 54)

Ἰόπλοκ᾽ ἄγνα μελλιχόμειδα Σάπφοι,

appellat, celebrabantur. Attamen austerum et tumidum, illud *ὀγκῶδες* viriles poetae (Athenaeus p. 627) ut Alcaeus, Pindarus servaverunt, et illud *γαῦρον* et *ὑπόχαυνον* indoles carminum tam lugubrium quam bacchantium erat. Quem ad finem cantum summi poetae Horatii Flacci (lib. II. car. XIII. v. 25 sqq.) adjicio:

Aeoliis fidibus quaerentem
Sappho puellis de popularibus
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

Perorationem jam meliorem nullo modo fecerim, nisi Boeckhii elegantissimi oratoris et subtilissimi scriptoris judicium commemoravero (Pindar. de metr. p. 284): „Aeolia gens varia (*ποικίλη, αἴολος*), intemperans, vehemens, superba, libidinosa, soluta, tumoris et mollitiei plena: hinc amoris et vini, hinc rei equestris studia: hinc in republica turbae innumerae, oligarchia, tyrannis: hinc magna poeticorum argumentorum licentia: hinc musices et numerorum minor gravitas, major vehementia et lascivia.“

§ III. De dialecto Dorica.

Breviter indolem Doricae dialecti eodem modo, quo priores tractavimus, in universum indicabimus. Haec dialectus a multis hominibus antiquioris recentiorisque temporis aetate superior Aeolica habetur. Iamblichius

(de vit. Pythagor. C. 34. p. 15 ed. Kust.): *τῇ δὲ Δωρικῇ διαλέκτῳ μαρτυρεῖ τὴν ἀρχαιότητα καὶ τὸν μῦθον* etc. Fabulis ergo hic Doricam dialectum vetustiorem judicat, quia Deucalionis et Pyrrhae filius Dorus est ejusque Hellen, a quo demum Aeolus ortus sit, et alia fabula Hellenis filii Dorus, Xuthus, Aeolus fuisse traduntur. Quae argumentatio ne memoratu quidem digna est. Hermannus (opuscul. I. p. 131 sq.) item Doricam primitivam censet. „Ex antiquissima, ait, illa Graecorum lingua duas alias, Doricam et Ionicam, et harum ex Dorica Aeoliam, ex Ionica Atticam ortas esse." Buttmannus (Gr. Gram. § 1, 1. 2) similia docet. Melior opinio Strabonis est (VIII. p. 33): *τὴν δὲ Δωρίδα τῇ Αἰολίδι (τὴν αὐτὴν φαμεν)*. Pariter Salmasius (de Hellenist. p. 417): „Aeolicam, ait, et Doricam prisco tempore fuisse unam et eandem dialectum." Quarum alterutram antiquiorem dicere liceat, ego autem Aeolicam antiquissimam dico, quoniam Aeoles iidem ac Pelasgi mihi videntur eorumque dialectus admodum prisca est. Quodsi ipsa ex Pelasgica aut alia quadam orta sit, certe antiquiorem eam esse opinor. Dores primo sub Parnasso regionem ejusdem nominis saxosam et asperam Doridem incolebant, tum cum Heraclidis, iisdem Aeolibus et Thebanis, quippe cum Thebae Herculis patria essent, in Graeciam vagantes Peloponnesum, quam tamen prius Aeoles tenebant (Pausan. II. 37. 3. Strab. VIII. p. 513), irruperunt, deinde in possessione soli certa stabilique positi sermonem ita excoluerunt, ut hic prae ceteris valuerit. Strabo (VIII, 1. 2. p. 333): *δοκοῦσι δὲ δωρίζειν ἅπαντες διὰ τὴν συμβᾶσαν ἐπικράτειαν.* Quid

quod omissis fabulis jam ex sermone ipso plus discimus? Dores secundum suam et regionis naturam, sermonem maxime proprio ingenio, commercio hominum abstinentes, ab indole Aeolum multis in rebus diversum formaverunt. Strabo (VIII. p. 333): *Δωριεῖς δὲ ὀλίγους ὄντας καὶ τραχυτάτην οἰκοῦντας χώραν εἰκός ἐστι τῷ ἀνεπιμίκτῳ παρατρέψαι τὴν γλῶτταν καὶ τὰ ἄλλα ἔθη πρὸς τὸ μὴ ὁμογενὲς, ὁμογενεῖς πρότερον ὄντας.* Quamobrem lingua dura propter illam duritiem regionis et gravior et fortior, comparata cum Aeolica maximeque cum Ionica, reddita est (Dionys. Thrax Anecd. Bekk. p. 662, 15): *δοκεῖ γὰρ τὸ Δώριον ἀνδρωδέστερόν τε εἶναι τοῖς βίοις καὶ μεγαλοπρεπὲς τοῖς φθόγγοις τῶν ὀνομάτων καὶ τῷ τῆς φωνῆς τόνῳ.* Hanc suam indolem praecipuo studio vocalium longe et large sonantium et proprio amore illius *A* non solum pro *η* sed *ε, ο, ει, αι, ου, ω,* linguae communis designant. De qua re pauca exempla afferam.

A pro *η* ut *φάμα, μὰν, νᾶσος, ἁδονά* pro *φήμη, μὴν, νῆσος, ἡδονή.*

A pro *ε* ut *Ἄρταμις, γα, ἱαρὸς, μέγαθος, φράνες, τράφω* pro *Ἄρτεμις, γε, ἱερὸς, μέγεθος, φρένες, τρέφω.*

A pro *ο* ut *εἴκατι* pro *εἴκοσι, ἄσσα* pro *ὅσσα, ἄναρ* pro *ὄναρ* (Hesych.).

A pro *ει* ut *κλὰς, κάρρων* pro *κλεὶς, κρείσσων, γαταλαὶ* (Hesych.) pro *ὠτειλαί.*

A pro *αι* ut *κάω, ἀρχάος, Ἀθανάα* pro *καίω, ἀρχαῖος, Ἀθηναία* (Pind. Pyt. XII. v. 16 ed. Boeckh.), *εὐπάραος* pro *εὐπάραιος* (Hesych.), *ἄνεγμα Ταρεντῖνοι* pro *αἴνιγμα.*

A pro *ου* ut *Αἰνεία* pro *Αἰνείου, ὁμᾶ* pro *ὁμοῦ, ἧπα* pro *ἧπου.*

A pro *ω* ut *γαταλαὶ* pro *ὠτειλαὶ, τᾶν* pro *τῶν, Κρονιάδαν* pro *Κρονιάδων, οὔπα* pro *οὔπω, πρᾶτος, πρὰν, θεαρὸς, θᾶκος, ὀπάρα* pro *πρῶτος, πρώην, θεωρὸς, θῶκος, ὀπώρα,* Pind. Pyth. IV. v. 115 *κοινάσαντες* pro *κοινώσαντες* etc.

Propterea Doribus *πλατειασμὸν* ceteri Graeci exprobraverunt, ut bene Theocritus de mulieribus Doricis (Idyl. XV, 88) ait: *τρύγονες ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα.* Quae littera *A* propria nota Doricae sicut illa *H* Ionicae dialecti est. (Arist. Quintil. de music. ed. Meib. II. p. 93): *Ἡ μὲν γὰρ Δωρὶς τὴν θηλύτητα φεύγουσα τοῦ η τρέπει αὐτῆς τὴν χρῆσιν, ὡς εἰς ἄῤῥεν τὸ α νενόμικεν.* Quae verba maxime tam indolem quam sonum continent, et *θηλύτης* illam mollitiem usumque frequentissimum soni *I* longi Ionum et *ἄῤῥεν* virtutem ac graviter sonantem *A* Dorum. Nimirum *I* productum *H* non *E*, ut plerique putant, nam praeterquam quod *E* non tam mollis quam *I* est, littera *I* contraria illi *A* est, sicut Iones contrarii Doribus sunt, *E* vero media est. Dorica dialectus et virilis et grandis et gravis et severa austeraque est, pariter atque ingenium ac modi. Athenaeus (XIV. p. 624 D.): *Ἡ μὲν οὖν Δώριος ἁρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ οὐ διακεχυμένον οὐδ' ἱλαρὸν, ἀλλὰ σκυθρωπὸν καὶ σφοδρὸν οὔτε δὲ ποικίλον οὔτε πολύτροπον.* Cum igitur Dorica dialectus firma fortisque sit, diaereses diphthongorum atque crebritatem brevium litterarum ne cogitare quidem possis sed ubique longas et gravissimas, sicut *A*, et contractas aequaliterque conglobatas litteras.

Haec dialectus nonnulla etiam habet, quae antiquitatem, sicut digamma et koppa redolent, et alia, quae recentiora videntur, ut spiritus asper, quem Aeoles veteres nesciunt cujus tamen usus rarior est. Sin dialectum utramque cum Aeolicam tum Doricam singilatim examinemus, deinde omnino comparemus, hanc perfectiorem et firmiorem in formis orationeque, illam uberiorem et infirmiorem ambasque ex eadem stirpe ortas judicemus; nam multas formas et communes et similes, aliquas magis vel minus ab una quam ab altera usitatas habent, ut utrique praecipue peculiares distinguere difficile sit. Singula persequi non possumus, quoniam hae gentes consanguineae earumque dialecti quasi geminae sunt. Dialectus Dorica in varias species dividebatur, quae cum ejusdem ingenii essent, diversae tamen pro commercio alienarum gentium et natura regionis erant. Rectissime igitur grammaticus Leidensis (p. 635) monet, *γεγόνασι δὲ αὐτῆς μεταπτώσεις πλεῖσται οὐ μόνον κατὰ πόλεις ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη.* Illae *μεταπτώσεις,* quae aut quales essent, examinare praetermitto, pauca solum de dialecto Laconum potissimum germanam virtutem colentium memorabo.

II. Dialectus Laconica indolem duram et robustam prorsus retinuit, adeoque illum *πλατειασμὸν,* ut asperum consonantem ipsumque spiritum asperum pronuntiare minime potuerit. Attamen dialectus aspera et signo spiritus asperi usa esse traditur. Lacedaemonios pro littera *Σ* spiritu aspero, velut *μῶά πᾶά* pro *μῶσα πᾶσα,* usos esse, verum et antiquius aetate Alexandrina, sed neutiquam hos illum spiritum re vera pronuntiasse

judices. Sed illis ore late aperto vocales pronuntiatibus, hiatus quidam audiebatur, quem apte ille asper significat. Res ipsa docet, quo magis Doriensium illud *πλατειάδδεν* est, eo minus hos spiritum praecipueque consonantes asperas pronuntiare posse, nam sonus asper, non ore aperto et hianti sed quasi clauso et coacto, lingua trepidanti inter discrimina labrorum ex profundo profertur. Quod argumentum dialectus ipsa affirmat. Pro *Z* non fere *σδ* pronuntiare non valentes sed *δδ* et simplicem *δ* dicebant, itaque *Σ* pro *θ*. Idem *Σ* in initio verborum ante vocalem servabant, ante consonantem aut elidebant ut *φὶν* pro *σφὶν*, *φαιρίδδειν* pro *σφαιρίζειν* (Hesych.), aut assimilabant ut *ἀκκὸρ* pro *ἀσκὸς*, *βεττὸν* pro *ἑστὸν* (Hesych.), aut in propinquas litteras ut in *ξ*, *ὄρνιξ*, *γελάξαι* pro *ὄρνις*, *γελάσαι* (confer. etiam Cretensium *πρεῖγυς* pro *πρέσβυς*, unde latinum *priscus*) transducebant. *Σ* finalem, quae acriter proferebatur, in *ϱ* mutabant. Litteram *Σ* pronuntiabant acerbe summoque susurru, quamobrem duplicatum *σ* in nonnullis inscriptionibus Doricis invenimus (vide Boeckh. C. In. Nr. 25). *Σ* medium inter vocales abiciebant testibus grammaticis et inscriptionibus ut C. I. Nr. 1250. v. 10. *Σωάνδρος* pro *Σώσανδρος* non autem *Σῴἅνδρος*, qui asper inutilis erat cum pronuntiare, nisi hiantes, nequirent. Satis haec, quae constare videntur. De spiritu aspero postea agemus.

§ IV. De dialecto Ionica.

Dialectum Ionicam ex Aeolica ortam esse, illae ipsae suis formis et indole affini demonstrant, neglectis nar-

rationibus et originibus heroum stirpium Graecarum auctorum eorumque propaginibus. Iones igitur multa cum Aeolibus communia habent eorumque indoles parum ab illis discedit. Dionysius Thrax ait (Anekd. Bekk. p. 662, 15) *χαῦνοι οἱ Ἴωνες.* Similiter apud Athenaeum (XIV p. 624) Aeoles *ὑπόχαυνοι* dicuntur. Praeter eximiam mollitiam iis etiam durities et vehementia quaedam ac gravitas est, quae indolem Aeolum praecipue Boeotiorum et Lesbiorum in memoriam revocant. Athenaeus (p. 625. B.) *ἑξῆς ἐπισκεψώμεθα τὸ τῶν Μιλησίων ἦθος ὅ διαφαίνουσιν οἱ Ἴωνες* (Milesii praecipue secundum Herodotum (I p. 146) sunt, *οἱ ἀπὸ τοῦ Πρυτανηΐου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες καὶ νομίζοντες γενναιότατοι εἶναι Ἰώνων) ἐπὶ ταῖς τῶν σωμάτων εὐεξίαις βρενθυόμενοι καὶ θυμοῦ πλήρεις δυσκατάλλακτοι, φιλόνεικοι, οὐδὲν φιλάνθρωπον οὐδὲ ἱλαρὸν ἐνδίδοντες, ἀστοργίαν καὶ σκληρότητα ἐν τοῖς ἤθεσιν ἐμφανίζοντες, διόπερ οὐδὲ τὸ τῆς ἰαστὶ γένος ἁρμονίας οὔτ' ἀνθηρὸν οὔτε ἱλαρόν ἐστιν.* Multas formas et contractiones iis pares atque Aeolibus et Doribus esse, et scriptores et poesis Homerica, nisi prope omnes formas poeticas vel Aeolicas nominemus, docent. Decursu temporum mitiorem et molliorem sermonem proprio ingenio et conditione regionis amoenae situque suavi maris, litteram *H* pro *E* et pro antiquiore *A*, et *ου* pro *ο* et *ω* inducentes, reddiderunt. (Athen. p. 625. B.) *τὰ δὲ τῶν νῦν Ἰώνων ἤθη τρυφερώτερα καὶ πολὺ παραλάττον τὸ τῆς ἁρμονίας ἦθος,* quod *οὔτ' ἀνθηρὸν οὔτε ἱλαρὸν* esse supra monuit. (Aristid. Quintil. ed. Meibom. II p. 93) *Ἡ δὲ Ἰὰς τὸ στερεὸν ὑποστελλομένη τοῦ α καταφέρεται πρὸς τὸ η.* Aeolum gemi-

nare consonantes maxime liquidas erat. Etym. Magn. in vocab. *Ἄλλως*, auctore Methodio. Eadem Dorum Ionumque principio, teste Homero, ratio erat, sed Iones amore vocalis *Ι* pro geminatis consonantibus litteram *ι* inseruerunt, velut *φαεινὸς, χεῖρας* pro *φαεννὸς, χέρρας*; pariter inter vocales ut *ποίη, ποιέω, Ἀθηναίη* pro *πόα, ποέω, Ἀθηνάα, πνοιὴ* pro *πνοὴ, πείρατα* pro *πέρατα, αἰετὸς* pro *αἐτὸς, ἀκλειὴς* pro *ἀκλεὴς, καταιβάτης* pro *καταβάτης* etc. Ergo dialecto Ionum propria vocalis *ι* potissimum *Η* erat, quo cum Boeotiis consentiunt; nunquam *ε*, ut plerique *Η* aequalem atque *ε* putant; nam ipsum *ε* apud eos *ει* maxime erat. Litterae *Η* et *ει* correptae illis *ε* et *ι* respondent, velut *πόλεως, πόλιος, πόληος*; *ἀρείων ἄριστος*; *κρεῖσσον κρέσσον*. *ε* media inter *η* vel *ει* et *α* est. Deinde ut Dores litterae *Α*, ita Iones sono *ι* (*η, ει, ι*) studebant, exempli causa, *εἶαρ* et *ἦρ* pro *ἔαρ, ξεῖνος* pro *ξένος, ἠὼς* pro *ἕως, ἰητρὸς* pro *ἰατρὸς, πρῆξις* pro *πρᾶξις, νεηνίης* pro *νεανίας*, ita *εἵως, ἱστίη* pro *ἕως, ἑστία*, rectius cum spiritu leni *εἴως, ἰστίη*, nam Iones aspero carent. Tantum illi *Ι* indulgebant, ut eundem sonum repeterent, sicut *ἠὴν* pro *ἤν, Κήῖος* pro *Κεῖος, πολιήτης* pro *πολίτης, ἐϋηγενὴς* pro *ἐϋγενὴς, ὀτιὴ* pro *ὅτι, θείημεν* pro *θεῖμεν, ἐξείης* pro *ἑξῆς, θαμειαὶ* pro *θαμαὶ, ἀδελφειὴ* pro *ἀδελφὴ, πολίϊ, δυνάμιϊ* pro *πόλει* et *δυνάμει* aut *πόλι* et *δυνάμι, ὁμοίϊος, ἀμφόϊϊν* pro *ὅμοιος, ἀμφοῖν*, ita *γελοίϊος*. Eustathius (Il. *β*. p. 205, 39): *τὸ γελοίιον πλεονασμὸν ἔχει τοῦ δευτέρου, ὡς καὶ τὸ ὁμοίιον ἀντὶ τοῦ ὅμοιον καὶ τὸ ποδοίϊν καὶ ἵπποιϊν καὶ ὤμοιϊν*. Ita dativ. Dual. vocabuli *γῆρας* pro *γέρας*, triplici *ι, γηραύϊϊν* pro *γεράτοιν* (conf. Iohan.

Barthold Nible dialectolog. Graec. p. 54). Hic sonus *I* variis diphthongis litterisque prolatus non Ionum solum erat nec ex arbitrio constitutus verum Aeolum etiam neque minus Dorum, sed Iones leviter pro sua indole potissimum hoc unum *H* similiter ac Dores *A* prorsus adhibebant. Nec ingenio eorum alienum est neque molli et suavi sermoni, consonantes elidere, ut *γέραα, κέραα* pro *γέρατα, κέρατα, εἴβω, αἰψηρὸς* pro *λείβω, λαιψηρὸς, ὄτταβος, ἤγανον* pro *κότταβος, τήγανον, ἴος* et *βιός* ceteraque (Buttmann. Gr. G. § 26. 6. Anm. 11). Idcirco contractiones quoniam copiam vocalium diminuunt et linguam fortiorem et validiorem, ut Atticam, restituunt ipsamque indolem immutant, invisae sunt. Qua ratione distractiones et diaereses diphthongorum accommodatae fuerint; atque hac in re minime ex libidine sed legitime agunt. Longas vocales et diphthongos contractione profectas in primitivis, ut *α* in *αε, εα τίμαε, σφέας* pro *σφᾶς τίμα, ῳ* in *ωϊ πατρώϊος* pro *πατρῷος* et *ει* in *εε, εϊ, σφέες, ἄστεϊ* pro *σφεῖς, ἄστει, ῃ* in *εῃ, ποιέῃς* pro *ποιῇς* etc. dissolvunt. Diphthongi solidae, quae nec contractione coaluerunt, nec principio digammo dissolutae, ut *ὄFις ὄϊς*, erant, nunquam diaeresin patiuntur. Attamen nonnullas et certas, quae antiquitus dissolutae aut postea contractione factae videbantur, Iones sua indole dissolvebant aut duplicabant, littera *α* et *ε* in *η*, *ο* in *ω*, mutata illoque iota conservato, quod saepissime inseruerunt, ut supra egimus, exempli causa, *Κήϊος, βασιλήϊος, στρατηΐη* pro *Κεῖος, βασίλειος, στρατεία, πατρώϊος* pro *πάτροιος, τιμῇσι* pro *τιμαῖσιν*. Certum igitur est, Iones non omnes diphthon-

gos et vocales longas dissolvere consuesse, sed maxime eas, quae ad formas et terminationes verborum pertinent. Quae mediae sunt, nullo tempore dissolvi, plerumque in similes et affines litteras transire possunt. Sin principio dissolutae erant, eaedem restant, ut *δυώδεκα, ὁτεὰν, ἐπεὰν* pro posterioribus *δώδεκα, ὅταν* etc. Dialectus ergo Ionica multos modos et primitivos paulum transformatos servans se antiquiorem, quam haberi solet, esse docet.

Digamma antiquitatis superstes est, et dialecto Aeolicae praecipue peculiare, id autem pridem in vocales et consonantes transformatum evanuit. Iones propter naturam suam et conditionem molles et dissoluti citissime digamma perdiderunt. Propterea diphthongos *αυ* et *ευ*, quibus in littera *υ* natura digammatis praeter simplicem et sibilum sonum *ι* inest, ad digamma evitandum nonnunquam dissecuerunt et contraxerunt, ita pro *αὐτὸς ναῦς, πλεύσεαι, ὠϋτὸς, νῆυς, πλώσεαι ἐῢς* et *ἠῢς, θώϋμα* et *θῶμα* pro *θαῦμα, ὦλκα* pro *αὔλακα, καύηξ*, id est *κάFηξ, κήξ* etc. Ergo vir doctus Seyffarthus (de sonis literar. Graecar. p. 529) admodum fallitur haec docens „Literas *αυ* non *af* vel *aw* ante consonas atque verborum in fine, sed *au* a Graecis initio pronuntiatas esse, sola dialectus Ionica atque Dorica evincunt, quae haud raro *ω* loco *αυ* habent.“ Quae dissolutiones et commutationes rarae sunt, nec diphthongi *αυ* et *ευ* iis alienae sunt, antiquo more *αο* et *εο* frequenter in *αυ* et *ευ* contrahentibus. Cujus rei plurima exempla Herodotus praebet et alia nonnulla Homerus, quae omnino digamma olim exstitisse testantur.

Spiritum asperum Iones plane nesciunt, propterea hujus signum in scriptis Ionicis perperam adjicitur, de qua solerter et accurate disputavit Giese (Aeolisch. Dialect. p. 389 sqq.). Spiritus asper successu temporis non evanuit, ut fere digamma, sed alienissimus antiquissimae aetati, quo ne Aeoles quidem utuntur, paulatim exstitit. Tzetzes (Epex. Il. 62, 20): *Αἰολεῖς τε καὶ Ἴωνες πάντα τὰ παρ' ἡμῖν δασυνόμενα ψιλοῦσι καὶ διὰ ψιλοῦ συμφώνου ἐκφέρουσιν.* Eustathius (Odyss. p. 1564): *ψιλωτικοὶ γὰρ ὥσπερ Ἴωνες, οὕτω καὶ οἱ Αἰολεῖς.* Iterum ergo dialectus ipsa se antiquissimam et ex Aeolica ortam esse probat.

Grammatici nonnullique scriptores priorem et posteriorem sive antiquiorem et recentiorem Ionicam dialectium distinguunt (vide Giese Aeolisch. Dialect. p. 51 sq.). Sic *ἀρχαία Ἰάς, δευτέρα, ἡ ὕστερον, ἡ νέα, ἡ νεωτέρα,* quae voces relativae sunt, nam qui scriptores veteres, qui recentiores sunt? Quid? Herodotus, qui Ionicum sermonem maxime integrum et incoruptum primitivumque statum et indolem gentis conservat, Atticam disciplinam ut praetermittam et poesis Homericae auctoritatem ipsiusque ingenium, ad novam Iaden pertinet? Nullo modo. Nam progressio linguae, quam sequor et brevissime indico, plurimis argumentis majoris momenti quam dicta levia et inania, hanc antiquam esse testatur. Grammaticos et scriptores examinare non est meum, nam ex lingua ipsa eandem perspicere et scriptores, quatenus cum eadem consentiunt, consulere studeo. Profecto Ionica dialectus, cui nova paucissima sunt, nimirum *H* ejusque variationes, Attica antiqua est.

Rectissime Strabo (VIII, 1. 2 p. 333) τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτήν φαμεν. Haec igitur antiquorum Atticorum et Ionum, qui iidem sunt (Herod. I. 146. Strab. p. 333) germana et integra dialectus est.

§ V. De dialecto Attica.

Attica quoque dialectus ex Aeolica antiquissima et fere eadem, quae Pelasgica habita, orta est, diversa tamen, quoniam novissima multasque conversiones perpessa. Secundum vero naturam regionis et convenienter suae indoli Athenienses pristinam linguam conformabant, sed prius, quam summum fastigium doctrinae attingeret, prorsus eadem quae Ionica, quam tractavimus, erat. Adfero Strabonis (VIII, p. 333) verba: Τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτήν φαμεν, καὶ γὰρ Ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε Ἀττικοὶ καὶ ἐκεῖθέν εἰσιν οἱ τὴν Ἀσίαν ἐποικήσαντες Ἴωνες καὶ χρησάμενοι τῇ νῦν λεγομένῃ γλώσσῃ Ἰάδι. Ias autem et Atthis eadem est et illi Attici Iones nominantur eodemque sermone utrique usi sunt, qui nunc Ionicus dicitur. Cum igitur Athenienses demigrassent, Ionice locuti, cum variis stirpibus potissimum Doribus consuetudine aut bello conjuncti vario et miscello sermone utebantur. Plurima deinde ex Dorica dialecto acceperunt, quorum nunc etiam satis reliquiarum invenimus, quamquam has omnes non unice Doricas sed nonnullas cum antiqua lingua communes esse apparet. Rectissime igitur Eustathius (Odyss. p. 1892, 40) docet: Παρὰ δὲ Δωριεῦσιν ὧν τῇ διαλέκτῳ καὶ ἀρχαῖοι Ἀττικοὶ χρῶνται. Exempla pauca memorabo. Usus litterae Α et contractione in Α Dorico modo,

ut *ναύκραρος*, *Ἀργαδεῖς δαρὸν* (Apollon. de conjectur. p. 495, 5), Genitivus primae declinationis in *Α* pro *ου* ut *πατραλοία*; *Ἀθηνᾶ* ut Dores *Ἀθάνα* ex *Ἀθανάα*; Iohan. Gramm. p. 73. *Ἔτι τῆς Ἀτθίδος ἀντὶ τοῦ εὐφυῆ ὑγιῆ, εὐφυᾶ λέγειν καὶ ὑγιᾶ*; contractio in *ην* pro *αν* ut *ζῆν, πεινῆν, διψῆν*. Sic *μῶν*, Futuri *ξ* pro *σ*. Pro posteriore *ζ* ut Dores, non tamen *δδ* sed *ττ*, velut *συρίττω, συρίδδω, συρίζω*; fortasse etiam *δ* pro *ζ* auctore Platone (Cratyl. p. 418. B.) *οἶσθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι — καὶ τῷ δέλτα εὖ μάλα ἐχρῶντο, καὶ οὐχ ἥκιστα αἱ γυναῖκες, αἵπερ μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσιν, — ἀντὶ δὲ τοῦ δέλτα ζῆτα.* Illud *Ι*, quod Iones post vocales inseruerunt, Dorico modo omittebant, ut *κλάειν, κάειν, ποέω, πόα*, pro *κλαίειν, καίειν, ποιέω, ποία* etc. Dionysius (Gregor. Corinth. ed. Schaefer p. 75.) *Αἱ ἐξερέσεις (τοῦ ι) Ἀττικῶν μὲν ἴδιαι, ἑτᾶρον γάρ φασιν ἀντὶ τοῦ ἑταῖρον. εὗρον δ' ἐγώ, ὡς καὶ Δωριέων καὶ Αἰολέων εἰσίν.* Porro Dorum spiritus asper, quem Iones una cum Aeolibus plane nesciunt. Hoc modo, ne longior sim, Athenis lingua ex Aeolica profecta, Ionica quidem dialecto, auctoritate Dorica et proprio ingenio et peculiari elegantia, his tamen diversa conformabatur. Itaque cum oratio epica Homeri talem indolem mixtam ceteris dialectis, Ionicam quidem, Attica et ratione et elegantia imbutam praebeat, Attica hujus aetatis arbitranda est, de qua re postea dicam.

Athenienses egregie suam indolem sequentes per se sermonem excolebant, qui non turbam earum rerum, quae propriae ceterarum dialectorum erant, sed imaginem non solum naturae et regionis sed ingenii etiam

populi indicat. Semper in eadem terra morantes dura et infertili nullique cedentes, elementa externa more genuino domesticoque transformabant, ut plane diversa et aliena apparerent. Strabo (VIII p. 333) *Τὸ αὐτὸ (τοῖς Δωριεῦσι) καὶ τοῖς Ἀθηναίοις συνέβη λεπτόγεων τε καὶ τραχεῖαν οἰκοῦντας χώραν, ἀπορθήτους μὲν εἶναι καὶ αὐτόχθονας νομισθῆναι, διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Θουκυδίδης* (lib. I. 2) *μετέχοντας τὴν αὐτὴν ἀεὶ μηδενὸς ἐξελαύνοντος αὐτούς, μηδ᾽ ἐπιθυμοῦντος καὶ τοῦ ἑτερογλώττου καὶ τοῦ ἑτεροθνοῦς αἴτιον, ὡς εἰκὸς ὑπῆρξε, καίπερ ὀλίγοις οὖσιν.* Dores propter asperam regionem dialectum duram asciverunt, sed Athenienses artificiose sermonem abjecta naturae coelique necessitate, legibus et institutis mentis et animi expoliebant. Durum igitur et molle tali modo, ne lingua horrida neve liquida admodum evaderet, ut in philosophia et architectura omnique arte solerter genera contraria Dorum et Ionum, conjunxerunt. Ergo Athenienses linguam non ab una tantum parte spectantes, ut Dores amore illius *H*, omnia commutabant et contrahebant in *A* pariter atque Iones in *H*, sed tam *A* quam *H* servabant, et saepe masculam *A* cum feminea *H* in hujus dialecti peculiare *ε*, quod medium litterarum *A* et *H* est, permutabant. Aperte qualitatem litterae *ε* Aristides Quintilian. de music. ed. Meib. III. p. 147) *ἀρρενοθήλυν* declarat. Proinde recte formatio secundae declinationis in *εως* et *εων* Attica appellatur, quod *ε* veteris Athidis est, ut inscriptiones docent. Dehinc lingua progressa *H* scripserunt, quod ad Boeoticum *I* et Ionicum *H* et *E* mediae aetatis respondet. Qua de re Plato (Cratyl. p. 418. B. et C.)

nos docet. *Οἶσθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τὸ ἰῶτα — εὖ μάλα ἐχρῶντο. — Νῦν δὲ ἀντὶ τοῦ ἰῶτα ἢ εἶ ἢ ἦτα μεταστρέφουσιν. — Οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλουν, οἱ δὲ ἑμέραν, οἱ δὲ νῦν ἡμέραν.* Antiquissimi Athenienses *ἱμέραν* tum *ἑμέραν* deinde *ἡμέραν* dicebant. Veteres ergo pro *H* recentiori, *I* scribebant et proferebant, deinde *E* quod saepissime sicut *ει* pronuntiabant, denique *H*, quod paulo ab illo *E* differt et prorsus idem atque *ει* est.

Athenienses simul et Dores contractiones admodum amabant, omnium autem litterarum suum cuique tribuentes minime amore illius *α* capti erant. Formas dissolutas antiquioris sermonis, quas integras Iones tenuerunt, contrahebant et studium contrahendi ultra exitum formarum latius per plures vocales in unum sonum convertendas patebat. Ita crases frequentissimae sunt et apostrophus verba artius astringit. Quo magis diphthongorum diaereses et dissolutiones crebritatemque vocalium oderant, eo magis, ut has confunderent et contraherent, appetebant. Quam appetentiam singularem Atheniensium, Plato (Cratyl. p. 409) contractione vasta perspicuam reddit: *Τὶ δὲ ἡ σελήνη; — ὅτι δὲ σέλας νέον τε καὶ ἕνον ἔχει ἀεὶ, Σελαενονεοάεια — συγκεκροτημένον δὲ Σελαναία κέκληται. — Διθυραμβῶδές γε τοῦτο τοὔνομα, ὦ Σώκρατες.*

Spiritus asper prius neglectus tum linguam perinde atque assimilationes aliique modi canori ornant. Formae multae regulis firmissimis constitutae hanc et aequalem et congruentem omnibus partibus reddunt, non, ut exemplo utar, augmenta vel reduplicationes temporum

pro arbitrio jactantur. Accentus numerose variantur, Aeolica tantum barytonesis interiit. Oratio elegans et perfecta longas periodos adepta est, non amplius compositio verborum ex *μὲν* et *δὲ*, *καὶ* et *τε* constat. Verba non dissecantur, nec ab his praepositiones, ut ne membra quidem a corpore, separantur. Magna arte lingua partim simplex partim multiplex et verbis formisque abundans Doricum brevius et Ionicum fusius dicendi genus et integrum et mixtum adoptavit. Denique ita perfecta est, ut non solum indolem nationis sed peculiare etiam ingenium dicentis exprimere posset; id quod effecit, cum ad summum fastigium paulatim pervenisset. Cujus progressum in epica oratione Homeri conspicamur, de qua paucis verbis, ne a proposito digrediamur, nostram opinionem exponemus.

In exordio dialectum epicam antiquam Ionicam ceterisque permixtam vulgo haberi diximus. Oratio enim Herodoti recentiorum Ionum fuisse, propter mollitiem illius *H*, quae maxime indolis Ionum est, neque minus Aeolum et Atticorum est, putatur. Deinde cum Homeri dictio antiqua quidem aliena autem Ionicae fuerit, propter nimiam similitudinem cum Attica antiquioris aetatis, vetustis et Doricis formis mixta, post emigrationem in Ioniam et ante bella Persica Athenis formatam suspicor. Quod recte conclusum, si quidem recte dialectos tractavimus, videtur. De his quidem rebus multi multa omni tempore maximeque Germani omnium gentium litteris eruditissimi, ut Hermannus, O. Muellerus, Boeckhius (Ind. lect. 1834), Giese, Thierschius, Nitzius, alii scripserunt, quorum scripta quidem

me non plane praeterierunt, sed opiniones adferre ad propositum haud pertinet. Orationem igitur Homericam, Atticam, cui Ionica, id est species Aeolica, variata Doricis modis subsit, arbitror. Omnino Atticam ex variis dialectis conformatam se ipsa manifesto indicat, quodsi testem postules, cura, ut Xenophontis rectissimam sententiam adferas, quae de republica Atheniensium (II. 8) est: *Ἔπειτα φωνὴν τὴν πᾶσαν ἀκούοντες ἐξελέξαντο, τοῦτο μὲν ἐκ τῆς, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς. Καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται· Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων.* Persona Homeri dubia est et ipsa patria et ubi carmina primo exstiterint. Gellius (III. 11) epigramma quoddam affert:

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζας Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Cujus epigrammatis in variis lectionibus, etiam *Χίος, Κύμη, Ἰθάκη* aliaeque urbes commemorantur, sed Athenae nunquam omittuntur. Sunt qui ab insula Chio, ubi secundum Acusilaum et Hellanicum[1]) *γένος ἐν Χίῳ Ὁμηρίδαι* traditur, ejus originem ducant. Siquidem Homerica poesis Atticum opus non est, aut ex Chio, ubi Homeridae morabantur, aut ex quadam septem urbium Ionum manaverit, quod factum esse videtur, cum Athenienses immigrassent, quorum auctoritas plus apud eos valebat, quam ceterarum advenarum gentium (Herodot. [I. 146] *ἄλλα τε ἔθνη πολλὰ ἀναμεμίχαται*) et qui cum mores et cultum

[1]) vid. Giese (Aeol. Dialect. p. 179 sq. Boeckh Index lect. 1834. p. 10). vide etiam Vit. Homer. et hymn. Homer. ad Apoll. Delium v. 171 sq.

patrium, tum sermonem servaverunt, docente Herodoto (I. 146 sq.): *Οἱ δὲ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ πρυτανηΐου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες καὶ νομίζοντες γενναιότατοι εἶναι Ἰώνων — ἔστωσαν δὲ καὶ οἱ καθαρῶς γεγονότες Ἴωνες. Εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηναίων γεγόνασι καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν.* Quo tempore Athenas summum culmen doctrinae Ionicae fuisse ex Herodoto (I. p. 143) patet. *Ὅτι γὰρ μὴ Ἀθῆναι ἦν οὐδὲν ἄλλο πόλισμα λόγιμον. οἱ μὲν νῦν ἄλλοι Ἴωνες καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἔφυγον τὸ οὔνομα οὐ βουλόμενοι Ἴωνες κεκλῆσθαι, ἀλλὰ καὶ νῦν φαίνονταί μοι οἱ πολλοὶ αὐτῶν ἐπαισχύνεσθαι τῷ ὀνόματι.* Itaque Athenienses superiores cultu litterisque redditi, aeque atque exemplar ad imitandum propositum apud suos plurimum valebant, quos sanctissimum et clarissimum nomen *Ἀθηναῖοι* decorabat.

Dicendi genus Homericum si Ionicum et diversas formas a Doribus Aeoliisque (Giese Aeolisch. Dialect p. 179 sq.) simul cum Atheniensibus adventatibus mutuatum judicamus, ut idem sincerum integrumque sit, cum emendatum et correctum subtilique elegantia politum sit, fieri non potest. Atticum sermonem et ingenium perspicimus. Aspirandi rationem quam veterrimo tempore et Aeoles Ionesque ignoraverunt et Dores neglexerunt, propriam paene Atheniensium ab Homero admodum et artificiose adhibitam invenimus. Copia quoque formarum Ionicarum in *H* Attico more temperata est. Cum epos genus poeticum sit, certe sermo solute et licenter compositus est; poetica licentia et antiquis formis praetermissis, apud Homerum sermonem Atheniensium invenimus illius aetatis, qua antiqua

et Dorica elementa suo ingenio transformantes paulatim elegantissime excoluerant. Quid? Carmina Homerica si scripta non essent, sed in ore hominum vulgarentur, tam elegantem et perfectum sermonem conservarint? Omnes homines tam eruditos quam cives Athenienses fuisse, Homerum ipsum *αὐτοδίδακτον* et *διδάσκαλον γραμμάτων* linguam polivisse censeamus? Carmina etiamsi solus Homerus aut rhapsodi ipsi ab illo auctore Homero docti tradidissent, nihilominus, si priscae aetatis sunt, aliam formam et vetustam et horridam haberent. Tantum vero abest, ut lingua sit antiqua et horrida, ut tam perfecta et pulchra sit, ad quam omnis poetica oratio referatur. Homeri ergo carmina, si antiquitus sic processissent, plane aliter se haberent, nam cetera, quae exstant, ut ejusmodi habeantur, fieri non potest. Haec autem tempore Pisistrati ab Onomacrito aliisque viris doctis litteris mandata esse, memoria rerum nuntiat, vel jam antea tempore Solonis, qui Homerica carmina continuo recitari scripsit. Diogenes Laertius (I. c. II. nr. IX): *Τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι — μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὥς φησι Διυεχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν*[1]). Illi igitur viri carmina, quae antiquissima esse volunt, Attica ratione et nimia elegantia, prisca vetustate exuta, renovata et perfecta omnibus gentibus Graeciae ut exemplaria egregia imitanda proposuerunt. Quae hodie quoque exstant variata multisque editionibus expolita et emendata doctrina grammaticorum.

[1]) De Onomacrito vid. Herod. VII, 6.

Linguam alio modo quam fere doctissimus Giese considero, tempore enim Attico eam perfectiorem quam primitivam illam Pelasgicam vel Graecam antiquissimam judico. Principales semper linguae instar sunt vastae et inconditae materiae, nam radices suffixis conglutinatas, simplices vocales et formas duras inflexibilesque continent, ex quibus deinde variae voces et verba et tempora modique nascuntur. Etenim lingua, cum opus naturae artisque sit, non donum deorum, ut fere Hebraica de se praedicat, tempore explicatur et amplificatur. Ex mente igitur humana profecta perpetuo quasi gignitur; quamobrem alias apud alias stirpes ejusdem populi magis minusve perfectas invenimus. Cum litteris mandata et doctrina composita est, populus conscius rectae rationis linguae eam excolit et conservat, alioquin illa sensim degenerat, denique auctoritate alius politioris linguae perit. Tandem externo habitu et formis et modis progressis ad dialecticam artem *θριγγὸν τῶν μαθημάτων*, sententia Platonis (de Republ. VII. p. 534 *E.*), evehitur, nam ex cogitatis, quae explicare et explanare philosophorum est, constat. Plato rectissime in Cratylo natura, *φύσει*, linguam esse probat et cum *φύσει* etiam motu, *κινήσει*, (Cratyl. p. 411 *E.*): *Οὐ κατενόησας ἴσως τὰ ἄρτι λεγόμενα, ὅτι παντάπασιν ὡς φερομένοις τε καὶ ῥέουσι καὶ γιγνομένοις τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα ἐπίκειται.* Naturalis ergo lingua, et quod naturale est vult gigni, et quod gignitur principio perfectum esse nequit. Propterea a Giese (Aeolisch. Dialect p. 133) dissentio cujus sententia haecce est: „Die richtige Ansicht, dafs im attisch-

ionischen Leben das Hellenische seine höchste Bildungsstufe erlangt hat, konnte leicht zu dem Irrthum verleiten, auch der Sprachzustand, wie er bei den Attikern erscheint, sei der vollkommenste. — Ihre Vollkommenheit aber in der Pelasgischen Sprache nicht im Hellenismus zu suchen ist. — Die Grundlage derselben ist ein Erbtheil, ist ein überliefertes Gut, welches, je nachdem es mehr oder minder treu von den verschiedenen Volksstämmen bewahrt wurde, den früheren vollkommenen Zustand abspiegelt. — Die Lehre der Syntax kann allerdings die einer zum Vollkommenen sein, während die Formlehre einer einzelnen Sprache nur die Geschichte des Verfalls derselben ist.“ Lingua tum perfecta, cum peracta et litteris definita et absoluta est, ergo praecipue tempore Attico. Principio elementa abunde exstant, haec tamen nullam linguam perfectam reddunt. Pelasgici muri molem multorum et immensorum saxorum continent, quae murum dumtaxat, at nisi ascia polita sunt et caementis cohaerent, nec normalem nec perfectum formant. Nec materia igitur, nec copia incondita sed forma polita et partium concinnitas linguae vigorem et facultatem progrediendi tribuunt. Indole uniuscujusque dialecti considerata, linguam perfectam esse, cum principia diffingeret et varias diversasque formas unam et simplicem communemque redderet, minime autem in antiquitus traditis permaneret, animadvertimus. Etenim grammatica sermonis Attici antiquissimas formas quidem corruptas, non vero linguam indicat, nam formae firmiores et certiores itaque definitae et perfectae sunt, ut nulla re ultra indigerent.

Sic gens Attica patrimonium linguam Pelasgicam litteris formisque quam maxime auxit et complevit, ac varias singularesque dictiones universales fecit. At ubi consensus et unitas variarum et diversarum rerum est, ibi omnino perfectio quaedam, hic vero linguae, evasit. Etiamsi lingua primitiva Pelasgica vel Hellenica perfectissima est, non minus Atticus sermo cum ceteris Graecis dialectis partim mancis partim perfectis comparatus, nisi forte argumentatione Gisiana deterrimus est.

§ VI. De dialecto communi.

Lingua communis, dialectus Attica est, quae in omnibus Graecis, cum omnes civitates Alexander rex Macedonum consociaret, valebat. Verum integra non est, cum ceteris dialectis modulata sit, itaque idiomata Aeolica, Dorica, praecipueque Ionica, Ionica enim dialectus prope eadem atque Attica, continet. (Hort. Adon. p. 236.) *τοῖς τῶν πασῶν χαρακτῆρσι κέχρηται καὶ ἐκ τῶν τεσσάρων καθέστηκεν.* (Johan. Gramm. p. 298): *κοινὴ δ' ἐκ τῶν τεσσάρων συνεστῶσα· ἔχει δ' ἑκάστη διάλεκτος οἰκεῖον ἰδίωμα.* (Gramm. Leidensis. ed. Schaef. in Gregor. Corinth. p. 640): *οὐδὲν γάρ φασιν ἔχειν ἴδιον, ἀλλ' ὥσπερ τετραφάρμακος δύναμις, ἐκ τεσσάρων συνεστῶσα, τετραφάρμακος καλεῖται, οὐδὲν ἴδιον ἔχουσα.* Haec lingua communis minus formis minimeque locutione et pronuntiatione quam dictione et indole ab Attica, cujus fundamentum est, differt. Attica autem dialectus, quam omni tempore commutatam ipsiusque auctoritate ceteras quoque animadvertimus, suas tamen formas et locutiones semper conservavit, de qua re recte Johannes Gramma-

tius (p. 71) judicat: *Ἡ Ἀτθὶς διάλεκτος μεταβολὰς εἰληφυῖα κατὰ καιροὺς, ὅμως τὸν ἀρχαῖον τύπον ὑπογράφει.* Communis igitur sermo ratione Atticae doctrinae conformatus est; attamen cum communis sit, ceteras dialectos, quamvis aliquantum Attica auctoritate et epicis carminibus et popularibus immutarentur et transformarentur, etiam hodie multis saeculis interjectis, exstinctas esse reprobat. Universam progressionem linguae sub unum aspectum brevi diagrammate subjecimus.

Pelasgicae sive Aeolicae linguae
species
Aeolica, Dorica, Ionica (Attica)

Elia, Arcadica etc. Attica (epica)

Mitiores.
Aeolica, Dorica, Ionica, Attica (absoluta)
Attica (posterior)

Sermo communis.

Dialectus communis non prorsus communis et vulgaris existimanda est, ut Buttmannus (Griech. Gr. § 1 Anm. 10), de qua re bene Giese (Aeolisch. Dialect. p. 49), non solum *Ἀττικοὶ Ἀττικὸν,* ait, sed etiam *κοινοὶ κοινὸν* contrarium esse potest, quam, *οἱ πολλοὶ, ἰδιῶται, σύρφακες, ἀμαθεῖς, χυδαῖοι, ἀναττίκῳ καὶ συνήθει λόγῳ χρώμενοι, ἀγοραῖοι, σύνηθες, ἰδιωτικὸν, καθωμιλημένον,* etc. Omnino sermonis vulgaris mentionem nullam faciemus, nam praeterquam quod indignus est, qui commemoretur, tantum abest, ut veterem vulgarem cognori, ut

nostratem quoque, qui hodie est, ignorem. Omnium gentium vulgus aliter locutum esse, consentaneum est[1]); atque Atheniensium sermonem alium hominum urbanorum, alium rusticorum fuisse, facile intelliges, Sextusque Empiricus (adv. Mathemat. p. 264), alium ***τῶν κατὰ τὴν ἀγροικίαν,*** alium ***τῶν ἐν ἄστει*** docet. Sermonem vulgarem, qui vilis et parvi momenti esse in universum solet, nam singilatim pauca antiquissimae aetatis continet, rejicio; si cui tamen integer et sincerus ille videatur, isque hunc discere atque docere studeat, minime huic invideo. Linguam igitur Graecam communem, nec vulgarem nec corruptam esse, scriptores Attici et Graeci prioris et posterioris aetatis inter se comparati docent. Si jam *Atticos*, Platonem, Thucydidem, Demosthenem, *Atticizontes,* Arrianum, Aelianum, Lucianum, *Communes,* Aristotelem, Theophrastum, Polybium, *Hellenistas,* Philonem, Josephum, comparemus, scriptorum prioris aetatis orationem elegantissimam et posterioris, etiamsi minus elegantem esse invenimus, tamen nec vulgarem nec barbaram nec ab Attica doctrina prorsus discrepantem existimemus. Vide ***Οἰκόνομον (περ. γνησ. Ἑλλ. προφορᾶς*** p. 496—551), qui longissime et rectissime plurima disputavit; Bloch (Revision, Lehre und Aussprach. d. Alt-Griech. p. 13 sq.). Quod ad pronuntiationem pertinet, eaedem litterae et formae et vocabula et locutio Attica

[1]) Gesner vir eruditissimus (Mithridat. p. 51) haec ait: „Habet enim ubique vulgus suum aliquid proprium, quo a caeteris plerisque differt. Sed illam dico communem, quam viri vel literati vel alioqui sapientes, et peregrinationibus cultiores adhibuerunt.“ vide Neidlinger (Ideen über unsere Erasmisch. Aussprach. p. 26).

hanc mutatam non esse indicant. Orationem denique Atticam Alexandriae regibus Ptolemaeis (Athenaeus IV p. 184) ab interitu defensam florere videmus.

§ VII. De litteris.

De litteris ipsis tantum, non de formis antiquis earum nec de harum inventoribus, qui fabulis traditi sunt, loquar. Herodotus (V. 58 sq.) Phoenices sub Cadmo litteras importasse et propterea *γράμματα φοινικήϊα* vel *καδμήϊα* appellata esse docet. Et ipse litteras Thebis monumentis inscriptas conspicatus aequales Ionicis fuisse affirmat, *τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖς Ἰωνικοῖς*. Quae ad historiae fidem pertinent, nam antiqua signa et nomina et ordo litterarum Phoeniceas esse monstrant. Ipsae litterae omnes Latinae, exempta Sampi, sunt, tum *Y* duplex et consonans *V* et vocalis *U* inducta est. Spiritu aspero *H* consonantibus *K*, *Π*, *T* adjuncto, haece litterae *KH X χῖ*, *ΠH Φ φῖ*, *TH Θ ϑῆτα* tum ex *ΣΔ Z ζῆτα*, *KΣ Ξ ξῖ*, *ΠΣ Ψ ψῖ*, ortae sunt. Vocales *E* aequalis atque *ε*, littera *ε* remansit, et aequalis atque *ει*, *H ἦτα*, quae prius nota spiritus asperi erat. Ex littera *o* eadem atque *ου* diphthongus *ου* et ex duplici *οο Ω ὦ*. Ionicus igitur litterarum ordo hic est. *Αα*, *Ββ*, *Γγ*, *Δδ*, *Εε*, *Ζζ*, *Ηη*, *Θϑ*, *Ιι*, *Κκ*, *Λλ*, *Μμ*, *Νν*, *Ξξ*, *Οο*, *Ππϖ*, *Ρϱ*, *Σσς*, *Ττ*, *Υυ*, *Φφ*, *Χχ*, *Ψψ*, *Ωω*. Quae litterae priores vel posteriores, utrum a Palamede an a Simonide inventae sint, perinde est. Iones primi hoc aucto ordine litterarum usi esse dicuntur, tum Athenienses archonte Euclide (Ol. XCIV, II), quod cum inscriptionibus congruit, a Callistrato Samio eas accepisse.

Quas eos ignorasse mirum est; forsitan plebiscita modo antiquioribus litteris inscripta sint, privatim jam Ionicis litteris cognitis. Litterae quae perierunt sunt *ἐπίσημα σάμπι* et *κόππα*, Latinum *Q qu*. Digamma, *F*, id est *Βαῦ*, aetate quidem interiit, nunquam autem prorsus evanuit, propterea paucis verbis hanc litteram, et *ἦτα*, spiritum asperum, commemoremus.

§ VIII. De digammo.

Digammon commune antiquiorum Graecorum, praecipue Aeolum, minus Dorum ceterarumque gentium proprium est. Latini *vau* vel *F*, Graeci *βαῦ* et *δίγαμμα*, quia biforme gamma *F* est, non propter aequalem pronuntiationem cum *γ*, quod fieri potest, appellant. Digamma littera consonans est, quam aeque atque *β* vel *Υ* et latinam *V* vel *f*, pronuntiatam esse, nomen *βαῦ* docet. Illud *Υ*, quod ad latinum *V* respondet, ex digammo est profectum (Marius Victorin. 2468). Quintilianus (XII, 10, 29) Aeolicam litteram, quae digamma est, appellat. Vocalis natura litterae *Υ* et Latinae *u* posterior est, quamobrem Graeci *υ* nomine tenue, *ψιλὸν*, ab *υ* digammo distinguebant. Pronuntiationem digammi *β* vel *υ*, *f* vel *V*, paucis exemplis illustrabo; Hesychius has formas praebet, *ἀβηδόνα*, i. e. *ἀFηδόνα* vel *ἀυηδόνα* sicut *ἀυώς* i. e. *ἀFὼς*, *ἀβώ*; *φάFος*, *φάυος*, *φάβος*, sic *δαFὸς*, *δαυλὸς*, *δαβελός*; *ἀFέλιος*, *ἀυέλιος*, *ἀβέλιος*, et cetera[1]). Pro *F* propter assonantem pronuntiationem *N* inseritur ut *φαβὸς*, *φανός*; *ἀFδάνω*, *ἁνδάνω*.

[1]) vid. Leo Meyer, Vergleich. Gramm. Gr. u. Latein. Sprach. p. 76 sqq. Oekonom. *περὶ Ἑλληνικ. προφορ.* p. 20—32.

Spiritus asper in locum digammi cedit, ut *'AFὼς, αὐὼς, ἄως; ἔFκηλος, εὔκηλος, ἕκηλος; ἔFαδεν, εὔαδεν, ἕαδεν.* Pariter digamma ad *V* Latinorum et *W* Germanorum respondet, sicut *β* et *υ* Graecorum, ut, *ΝάFς, navis; Fοψ, vox; Fοῖνος, vinum, Wein; Fέργον, Werck; Fείργω, wircken; 'AιFὼν, aevus, ewig; Fέτος, vetus, Wetter; Fεσπέρα, vesper, West; Fιτέα, vitex, Weide; Fεστὴς, βεστὴς, vestis; Fεικάτι, βεικάτι, viginta; Fὶς, βία, vis; Fία, γία, viola.* Hesychius *ὤβεα τὰ ὠὰ 'Αργεῖοι*, id est, *ὠFὸν, ovum,* quod hodie vulgo Graeci *αὐγὸν* dicunt. Latinum *f* ipsum digamma est, ut *Fυιὸς, filius,* item Graeci *φ*, Hesychius *φέννος ἐνιαυτὸς*, i. e. *Fέννος*, Latini *annus*, quamobrem spiritu aspero scriptum invenitur, *ἕννος* et *ἑνιαυτὸς* (Boeckh C. I. Vol. II. Nr. 2448, VI. v. 25 *καθενιαυτὸν*). Item Aeoles *φ*, ut Latini *f*, ante *ρ* et *υ*, pro digammo et pro posteriore aspero scripserunt. Illud *φ* est loco *β* et *υ* soni gratia et cum ipsum *φ*, ut Latinum *f*, digamma sit, ita *Fράτρα, φράτρα, frater; Fριγέω, φρίσσω, frigeo; ὕραξ* i. e. *φύραξ* (Hesych.) *μίγδην, ἀναμὶξ*, inde *Fύρδην, φύρδην; Fολκὸς, φολκὸς, ὁλκός*. Ita *β* et *Υ* ut *Fρόδον, βρόδον; Fράκος, βράκος; ταλάFρινος ταλαύρινος*, Etym. Magnum *πλεονασμῷ τοῦ υ ὡς ἄρρηκτος αὔρηκτος* (Schol. Dionys. Thrac. in Bekk. Anecd. 694, 18). *Τοῦ δὲ ρ ἐπιφερομένου πολλάκις προστιθέασιν οἱ Αἰολεῖς, οἷον, αὔρηκτος* (Anecdot. Ox. III. 237, et Ahrens Aeol. Dial. § 5, 5). Consentaneum est, *β* et *υ* aequales, nec illud *φ* inventionem recentissimorum Graecorum esse, quod *υ* ante consonantes aspiratas et tenues et *σ* quasi *φ* pronuntietur, ut hodie vulgo, exempli causa, *αὐτίον, aftion,* Aeoles *AFς, Ἄυς,* diminutivum *'AFτίον, αὐτίον,*

Iones *οὔας οὐάτιον* et Latini *aures*, *ου* et *u* vocales sunt, quia durum *υ* (*β*) et *V* in talibus compositionibus pronuntiari nequit, de qua re postea.

Invicem *γ* pro *F*, quae eandem pronuntiationem attingit, non aeque ac *g* sed quasi *j* vel *gh*, invenimus, ut Hesychius *γία* i. e. *ἴα, Fία, γίο, Fιο* pro *οὗ, γίπον Fεῖπον*; (Boeckh. C. I. N. 1547. v. 6): *Γάδωνος, Fάδωνος* (Giese Aeolisch. Dialect p. 190). Sic nunc vulgo *κλαίγω καίγω, κλαίFω καίFω*, ubi *γ* est pro *F*, ut aoristi *ἔκλαυσα, ἔκαυσα*, docent; accusativus vocabuli *ἀFὴρ* est *ἀFέρα*, Aeoles *ἀυέρα*, nunc vulgo *ἀγέρα*, ita *θεγὸς* pro *θεFὸς*. Oekonomus (p. 23 *α*): *Ὅθεν καὶ τὰ τῆς συνηθείας (παρὰ τὰ τοῖς καθ' ἡμᾶς Ἠπειρώταις μάλιστα) θεγὸς λαγὸς = θεFὸς λαFὸς*. Porro *βείρακες, Fείρακες: ἱέρακες* hodie vulgo *γέρακες*; sic *ὠFὸν*, *ovum*, *αὐγόν*; *γέτος, Fέτος*, *vetus*, *ἀFρέω, ἀγρέω, αἱρέω*; (Hom. Od. *Π*, v. 148), *αὐτάγρετος*, hoc est *αὐθαίρετος*; *γάδομαι, Fάδομαι, ἅδομαι*; *γέμματα, ἱμάτια*, etc. (confer. Oekonomus p. 22). Large et aperte *β* et *υ* aequales ac *γ* esse videmus, ita, *βέλαν* et *γέλαν*; *βάνα* et *γάνα, γυνή*; *γέντερ ἡ κοιλία* Latini *venter*, sic *Fέντερα γέντερα*; *γαδεῶ* et *βαδὺ, ἡδύ*; *γέαρ Fέαρ, βῆρ, Fῆρ, ver*; *Fέλλαι, γέλλαι*, i. e. *τίλαι*, Latini *vello*, quae omnia in Hesychii lexico inveniuntur. Item *γ* ut *F* quoque, ubi postea spiritus asper est, *βέλαν, γέλαν, ἕλαν, εἵλην*, unde *ἥλιος, γέμματα, ἱμάτια*, sic *β* pro posteriore aspero, *βείρακες, ἱέρακες*; *βαλικιώτης, ἡλικιώτης*; *ἀFὼς, ἄυως, ἄβως, ἅως*, etc. Cum digamma et gamma spiritui aspero respondeant, ut *γ* aeque ac *g* pronuntietur, fieri non potest, sed quasi *j*, ut *ὥρα*, Latini *hora*, Germani *Jahr*, *ἧπαρ*, *jecur*, *ὑμᾶς* Sans-

crit. *jusham* (Ahrens Aeolic. D. § 4, 7). Oekonomus (p. 22α): *Ὅθεν καὶ παρὰ τοῖς Ῥώσσοις τό γ ἀναπληροῖ τὸν τόπον τοῦ λατινικοῦ h.* Littera *γ* aequalem cum *j* et similem cum *β, υ, φ* esse diximus, quas facile in *γ* transire posse, vide ex Germanico „Wasser" et Britannico „Water."

Litteram *N* quoque locum digammi obtinuisse jam animadvertimus ut *φαFὸς φανὸς*, item *χάFω* (*χάνω*) *χαῦνος, χαίνω; ἀFδάνω ἀνδάνω; ἀμφασίη* ex *ἀFφασίη* vel *αὔφασίη* aliaque[1]). Sicut littera *N* sic digamma vocem gratam et suavem fecit, propterea inter vocales, ubi hiatus quidam esse solet, ponitur, ut *ἈχηFοὶ* modo Boeotico pro *ἈχαιFοὶ*, Latini *Achivi*, *ἈργεῖFοι Argivi, ταὼς* i. e. *ταFως*, Latini *pavo*. Priscianus (ed. Keil I. p. 17) exempla Graeca Latinaque affert: „Hiatus quoque causa," ait, „solebant illi interponere *F* quod ostendunt et poëtae Aeolidi usi — *Ἀλκμάν: Καὶ χεῖμα πῦρ τε δάFιον* — et epigrammata, quae egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui stat in Xerolopho Byzantii, sic scripta: *ΔΗΜΟΦΑFΩΝ ΛΑFΟΚΟFΩΝ*, nos quoque hiatus causa interponimus *V* loco *F* ut Davus, Argivus, pavo etc." (Oekon. p. 23). Iones vocalem *ι* pro *F* addiderunt ut, *λέFος λεῖος, levus, ἀFρέω* sive *ἀγρέω, αἱρέω, κάFω καίω.*

Quamvis digamma propria esse littera sensim desierit, tamen vis ejus ad affines et similes litteras transiit. Ita illud *υ*, quod cum in loco *F* collocatum sit, et consonans aequalis ac *β* et latinum *V*, non vocalis *υ* vel *u* est; itaque recte vir doctissimus Boeckhius (Pindar:

[1]) vid. Thiersch Gr. Gramm. § 173, 1.

Not. Critic. Pyth. II. p. 443) asperum primae vocalis appingendum esse monet, ita *ἀυάτα* non *αὐάτα*. „Non longa, ait, prior est sed brevis, nam consonae vice fungitur littera *υ*, ideoque *ἀυάτα*, non *αὐάτα* scriptum est. — E scriptura *αὐάταν* natum est *ἄνατανv*." Recte inquam; sed hoc scribendi genus ubique persequi nequimus, nam si in *αὐάτα* brevis *υ* est ipsumque vice consonae *β* fungitur, postero tempore digammo obliterato, *υ*, quamquam aeque ac *β* pronuntiatur, semper tamen diphthongum longam efficit, si vero brevem syllabam, omittitur. Ita apud Pindarum in *ἀυάτα* brevis *υ* est, apud Homerum anceps (Fr. Thiersch Gr. Gram. § 168, 3) *ἔFαδεν εὔαδεν* (Hom. Il. *Ξ*, 340), *ἑαδότα μῦθον* (Il. I. 173). Denique Iones diphthongos *αυ* et *ευ*, quamquam *υ* pro digammo maxime est, dissolvunt, itemque Latini qui *V* consonantem, *u* vocalem faciunt, ut *ὕλFη*, *silva*, *silua*. Thiersch (Gr. Gram. § 170, 2): „So bleibt auch das aus dem digamma entsprungene *Υ* offen in *ἀϋτή* Il. *β*, 153 — *ἄϋσε*, *ἄϋσαν* etc." Pariter *ἀϋσταλέος* (Od. *T*, 327. Thiersch Gr. Gram. § 170, 6) hoc est *ἀFσταλέος*.

Quod digammon in litteras *β*, *υ*, *φ*, *γ*, abierit, non est qui miretur, nam homines antiquissimae aetatis non regulis grammaticis sed pronuntiatione par pari referebant. Qui linguam contra naturam argute et perdocte speculatur, progressionem et tenorem linguae perdit ac multis interrogationibus in dubium vocat et perturbat. Itaque inutilis quaestiuncula est. „Cur enim sono non mutato signum mutarent?"[1]) Oekonomus (p. 27 sq.),

[1]) Ahrens (Aeolic. Dial. § 5).

modis variis physicis has res simplicissimas explicare studet. Frustra; multi digamma aeque atque *υ, β, φ, γ* pronuntiatum esse ignorare videntur, nam aliter iis tantum negotium non facessierit.

Digamma igitur consonans est, quamobrem positionem syllabae efficit (Giese Aeolisch. Dialect. p. 185), ut Alcaeus *ἄτερ Ϝέθεν, φαίνεται Ϝοι*, sed quia tenerum molleque est, fere omittitur, ut Alcaeus (Appendic. Ahrens de dial. Aeolic.) Frag. 41 *εἴπην*, Sappho Fr. 44 *ἴσσος*, et apostrophon accipit, ut Alcaeus Fr. 57 *τὸ δ' ἔργον*. Priscianus (ed. Keil I. p. 4. 22) „digamma Aeoles," ait, „quando pro nihilo in metris accepisse, ut *Ἄμμες δ' Ϝειρήναν τὸ δὲ τ' ἄρ' θέτο Μῶσα λιγαῖα.*" Sed *Ϝ* delendum est, *Ἄμμες δ' Εἰρήναν*, nam alioquin *ε* syllabae *δὲ* excidere non potuit. Giese (Aeolisch. Dialect p. 187) illius sententiam improbat et redarguit, nimirum ex *Ϝειρήνη* pari ratione cum *Ϝράτρα, Ϝράναν* facto, *Ἄμμες δὲ Ϝράναν* scripsit. Frustra: nam digamma, quia tenuissimus sonus linguae Graecae est, obscuratum et obrutum paulatim interiit.

§ IX. De spiritu aspero.

Jam de spiritu aspero, qui ex Phoenicco Cheth[1]) ortus vel idem esse videtur, acturi sumus. Antiquissimo tempore spiritus asper inauditus est, quem Aeoles et Iones quoque ignorant, ac digamma vice ejus fungitur[2]), cujus quaedam ei similitudo est. Consonans tamen nec vocalis est, nam nullam positionem

[1]) Vid. Buttmann. (Gr. Gramm. § 2, 1), Giese (Aeolisch. Dialect. p. 219).

[2]) Vid. Ahrens (dialect. Aeolic. § 4 de spiritu).

syllabae efficit, nec hiatum tollere potest. Spiritus halitus quidam est, quem demum Athenienses excoluerant, apud Dores rarus et admodum neglectus nec consonantes aspero saepius afficiebantur. (Apoll. de syntax. p. 335: *ἀπειράκις τὰ Δωρικὰ διὰ ψιλῶν ἀντιστοίχων τὰς συναλοιφὰς ποιεῖται*). Spiritus asper collocatus est potissimum loco digammi, ut *Fρόδον, ῥόδον; Fριγέω, ῥιγέω; Fάδομαι, ἅδομαι; Fέτος, vetus, ἔτος* (Boeckh. C. I. vol. II. n. 2347. v. 48), *καθέτος; Fεστία, vesta, ἑστία; Fεσπέρα, vesper, ἑσπέρα; ἔFαδεν, ἕαδεν.* Cum digamma aeque ac *β, υ, γ, φ* pronuntiaretur, asper positus est pro his litteris, ut *Fείρακες, βείρακες, ἱέρακες;* Hesych. *βέλαν* i. e. *Fέλαν, ἕλαν, εἷλαν, ἥλιος; βρόδον, ῥόδον; αὐὼς, ἅως; γαλερὸν, ἱλαρὸν; γανδάνω, ἁνδάνω;* Hesych. *γῖξαι, χωρῆσαι, ἷξαι;* Hesych. *φέννος* quod *ἕννος, ἐνιαυτὸς* (C. I. Vol. II. nr. 2448. VI. v. 25), *καθενιαυτόν* est. Porro asper vice elisarum consonantium fungitur, ut *καρπαλίμως, carpo, ἅρπω, ἁρπάζω; κάπτω, capio, ἅπτω;* Hesych. *ὑβὸς, κυφὸς, gibbus; καλινδῶ, ἁλινδῶ ἁλινδήθρα; ψάμμος* rectius *ἅμμος* non *ἄμμος*, nam *ὕφαμμος.* Asperi propria littera *σ* vel *s* quoque est secundum pronuntiationem, nam cum asper spiritus quidam sit, difficile a certis hominibus profertur, propterea eum, qui pronuntiare nequit, fere sibilans et susurrans littera *σ* profert, praecipue ante *υ*, quod proprie digamma est, cujusque pronuntiatio sibilans *y* non *hi* nec *u*, nam ipsum admodum tenue et acutum *ι* est, quocirca *σ* et *φ* anteponuntur et ante *φ* interdum littera *σ*. Id quod paucis exemplis illustrabo. *Ἕξ, sex; ἅλς, sal; ἕζομαι, sedeo; ἥλιος, sol; ἱδρόω, sudare; ἅγιος,*

sacer; ἑκυρός socer. Schol. Hom. Il. *β*, 619: *Σελλοὺς, οἱ δὲ νεώτεροι Ἑλλοὺς λέγουσιν. Οἷ, ἕ, σφὶ, σφὲ, si, se; ἠθέω (ἠθέω), σήθω; ἁδὺς, suavis; ὗς, σῦς; ὕλη, silva; ὑπὸ, sub; ὑπὲρ, super; ὕπνος, somnus; σφάλλω, fallo; σφίδη, fides; σπυρὶς, σφυρὶς;* hodie vulgo *σφυρίζω* pro *συρίζω;* Hesych. *ὗραξ* id est *φύραξ* vel *φύρδην;* sic *υἱὸς, filius; ῥιγέω, frigeo, φρίσσω;* aliaque. Inde manifesto spiritum asperum initio durum et acutum fuisse deprehendimus, quam naturam praecipue ante illud *υ* et consonantes tenues servavit, sed ante vocales aliquantum emollitum et ut digamma obscuratum est.

Pronuntiatio spiritus asperi instar Germani *h* graeca non est, nam nunquam in antiquis monumentis pro aspero, *χ* invenimus. Locus Aristophan. Lysistrat. v. 980. *Πᾶ τᾶν Ἀσανᾶν ἐστὶν ἁ γερωχία;* corruptus est. Meinekius *γερωΐα,* Brunck. *γερωσία* scripsit, verum autem, cum vir Lacedaemonius loquatur, *γερωΐα* est, nam Lacones *σ* omittentes asperum ut *Μῶσα, Μῶἁ* ponebant, vide Giese (Aeolisch. Dialect p. 317). Porro Etym. Magn. 22, 23: *ἅζω ἀπὸ τοῦ χάζω ὑποχωρῶ γίνεται, ἀναχωρήσαντος οὖν τοῦ χ, ἔμεινεν ἀναλογοῦσα τῷ χ ἡ δασεῖα.* Primum derivatio falsa, tum etiamsi illi *χ* asper responderet, nullam fidem pronuntiationis praestaret, nam praeterquam quod pro multis aliis consonantibus asper positus est, illo tempore etiam minus asper quam priore percipiebatur. Latini idem signum asperi atque Graeci *H* habent. Athenaeus p. 398 dicit: *Σέλευκος δ' ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ Ἑλληνισμοῦ — οἶμαι δὲ καὶ διὰ τοῦ Η στοιχείου τυπώσασθαι τοὺς παλαιοὺς τὴν δασεῖαν, διόπερ καὶ Ῥωμαῖοι πρὸ πάντων τῶν δασυνομένων ὀνομάτων τὸ Η*

προσγράφουσι, τὸ ἡγεμονικὸν αὐτῆς διασημαίνοντες. Graecorum igitur *H* et Latinorum *H* aequales habet; de pronuntiatione quidem cum nihil dicat, fortasse utriusque eandem exstimat. Si pronuntiatio Graeca asperi sicut *h* (χ) fuisset, non vocabulo *ἡγεμονικὸν* contentus esset. Verumtamen Latini asperum quasi Germanum *h* pronuntiassent, nam *h* in locum χ substituerunt, ut *χυμὸς, humor; χειμὼν, hiems; χάσκω, hio;* mollior autem littera χ est, nam interdum *h* ejicitur, ut *aranea, ἀράχνη.* Quintilianus (I. 5. 20) antiquo tempore pronuntiatum saepissimeque usurpatum esse negat. „Parcissime" ait „ea (*h*) veteres usi, etiam in vocalibus cum *oedos ircos*que dicebant." Non item Latini posteriores, quorum nonnulli tam inepte Athenienses imitabantur, ut saepe nulla de causa asperum et consonantes aspiratas adhiberent, ut *lachrima, chorona.* Confer Catulli carmen LXXXIV, quo ridiculos imitatores illudit, sicut Arrium, qui *chommoda* et *hinsidias* pro *commoda* et *insidias* dicebat:

„et tum mirifice sperabat se esse locutum,
cum quantum poterat dixerat *hinsidias.*"

Spiritus asper Latinorum *H*, id est fere *X*, pronuntiatione a Graeco *H* differt, nam ubique lingua Graeca progrediente affines similesque litteras varie permutatas animadvertimus, pariter asperum cum aliis, nunquam autem cum littera *X*.

Asper est tantum spiritus, *πνεῦμα* purum, nec consonans nec vocalis, cujus pronuntiationem Scholium (Anecd. Bekk. p. 692, 26) definit. Primum *ψιλή· ποιότης συλλαβῆς καθ' ἣν ἄκροις τοῖς χείλεσι τὸ πνεῦμα προφέρεται, οἷον, Αἴας.* Tum *δασεῖα· καθ' ἣν ἀθρόον*

ἐκ βάθους χειλέων τὸ πνεῦμα ἐκφέρεται, οἷον ἥλιος; item Etym. Magn. vocabul. *ψιλή*. Quamvis definitio accurata non sit, tamen tali modo Athenienses ceterique Graeci illum proferebant, quem supra digammi et litterae *σ* similem esse docuimus, et aliter Dores praecipueque Lacones[1]) pronuntiasse monuimus. Est enim *H* spiritus quidem, qui quamquam asper et densus, non tamen semper ab omnibus percipitur, qua re alia vocabula a Doribus, alia ab Atheniensibus aspere proferebantur, ut Dores *ἁκρόπολις, ἅρνησις, ἑννέα, ὁκτώ* etc., Athenienses *ἀκρόπολις, ἄρνησις, ἐννέα, ὀκτώ* (vide Ahrens dial. Doric. § 4, 2).

His dictis principio naturam quasi consonantem tum potius vocalem asperi *H* fuisse judicemus, quapropter saepe vocali adjecta asper interit, e. c. *ἥλιος, ἠέλιος; ἕκηλος, εὔκηλος; ὁδὸς, οὐδὸς; ὅλος, οὖλος* etc.

Signum *H* et spiritus asperi et vocalis *ἦτα* est. Cum vero Latini *H* scriberent et proferrent, itemne ergo antiqui Athenienses, an idem signum rerum diversarum fuerit? Cur Athenienses signum spiritus asperi vocali *η* vindicaverint, si pronuntiatio discrepet? Signum *H* et asperi et vocalis idem esse Seleucus in supra allato loco docet (Athenaeus p. 398: *οἶμαι δὲ καὶ διὰ τοῦ H στοιχείου τυπώσασθαι τοὺς παλαιοὺς τὴν δασεῖαν*). Sed de pronuntiatione eundem nihil dixisse monui. De his rebus sententias grammaticorum praetermittam, nam minimum, plurimis ex ipsa eorum officina profectis, valent, ut Choeroboscus (ad Dionys. p. 706, 58): *ἡ δασεῖα συναπτομένη τῇ ψιλῇ τόπον τοῦ H ἀποτελεῖ*, quod

[1]) Vid. supra p. 23 sqq.

signum' apud antiquos nisi Alexandrinos nunquam invenitur. (Theodos. ed. Goetz. p. 3, 28: *συζεύξας* [*Σιμωνίδης*] *γὰρ δύο Ι̣Ι διὰ μακρᾶς κεραίας ἐν τῷ μέσῳ ἐσχημάτισε τὸ Η*). Quae quamquam falsa est definitio, tamen verisimilis propter pronuntiationem aequalem et formam geminati *I*. Confer Giese (Aeolisch. Dialect p. 218 sqq.) ibique scriptores laudatos. Cum signum asperi vocalisque idem sit, et pronuntiationem eandem antiquo certe tempore fuisse opinor. Nunc quaeritur, quomodo *ἦτα* pronuntiatum sit, utrum longo *E* an longo *I* vel geminato *I*. Giese (p. 221) longo *E* cum plerisque aliis putat. Item Buttmannus (Gr. Gram. I. § 2 Anm. 2) et *ε*, *ψιλὸν* appellatum esse, ut ab *ἦτα* id est *ε δασὺ* distingueretur. Sed littera *ε* apud antiquos *εἶ* nominatur, ita *ο οὖ*, quae nomina non sunt facta pari modo ac *πῖ*, *νῦ* et similia, ut Buttmannus judicat, sed quia Iones fere *ει* et *ου* pro *ε* et *ο* utebantur, et Athenienses *ε* pro *ει* vel *η* antiquo tempore scribebant. Ne plura: de littera *H* postea largius disputabimus. Illud *η* est asper spiritus, *πνεῦμα* quoddam. Est autem spiritus et flatus asperi proprius sonus sibilus *I*, nunquam *E*. Propterea Jod vel geminatum *I* pro aspero *H* in talibus vocabulis, quibus non litterae sed pronuntiatio antiqua efficta est, invenimus, ut *ἧπαρ*, *jecur*, Sanscrit. *jakrt*; *ὑμεῖς*, Sanscrit. *jus̆man*; *ἅγιος* ab origine *ἁγ* — Sanscrit. *jag*; *ὅς*, *ἅ*, *ὅ*, Sanscrit. *jas*, *ja*, *jat*. Vide Giese (Aeolisch. Dialect p. 242 sq.); item *ὥρα* Germani *Jahr*, et Latinum *juba* nihil aliud est quam Graecum vocabulum *ἥβα* et *ἡβόων*, *juvenis*. Confer Leo Meyer (Vergleich. Gramm. I. p. 86), qui *ἥβην* cum *jubar* comporat, quoniam *ἥβην* (*ἥFην*) *splendorem* principio signi-

ficare docet. Hoc aspero *j* adjuncto consonantibus tenuibus, aliae natae sunt:

κ, τ, π tenues litterae, *j* adjuncto;
κj, τj, πj, nascuntur haece
γ, δ, β, tum puro spiritu aspero,
χ, ϑ, φ.

Deinde cur Aeoles spiritu aspero usi non sint, explicatur, nam asper antiquo tempore aequalis atque *H* (*II* vel *J*) prope idem ac digamma est. Pariter ut asper litera *H*, ita digamma litera *Y* significatur, et invicem digamma atque asperum permutata animadvertimus. Prisca antiquitate digamma *F*, *v*, exstabat, tum ejus loco *H* spiritus asper substitutus est, deinde utroque obscurato litterae *v* et η vocales sunt redditae, illud *v* tamen naturam digammi et asperi prorsus non perdidit, quamquum digamma interiit et asper tantum spiritus purus remansit, qui tempore Atticae aetatis mollior et mitior tenuibus auribus hominum elegantissimorum percipiebatur. Delicatior etiam Latina *h*, quae tamen minime consonans et dura est, nam nullam positionem syllabae effecit, et ipsi Latini saepe, quibus vocabulis adhibenda sit, dubitant. Asper vero proprie conspicuus est inter consonantes tenues, nam haec natura spiritus, qui non auditus tamen auditur, cum aliquid flatu stringit et aspere sonat, cum res tenues impetu quodam illidit. Priscianus recte animadvertit (ed. Keil I. p. 18). „Ideo autem (*h*) exstrinsecus ascribitur vocalibus, ut minimum sonet, consonantibus autem intrinsecus, ut plurimum — ut si dicam 'Erennius' absque aspiratione, quamvis vitium videar facere, intellectus tamen permanet. Conso-

nantibus autem si cohaeret, ut ejusdem penitus substantiae sit, ut, si referatur, significationis vim minuat prorsus, ut si dicam 'Chremes'." Itaque qui spiritum asperum Germano more littera *h* pronuntiant, falluntur; nam *h*, si Graeci ut litteram *χ* pronuntiassent, praeterquam quod haec locutio non pro natura spiritus est, nec unquam *χ* in monumentis antiquis invenitur, os Graecum summo studio proferre vix potuit, nisi illud *h* pro spiritu aut consonans aut durum evaderet. Pariter, qui hodie Graecos spiritu aspero usos esse negant, falluntur, nam vulgus nostrum amplius quam olim Athenienses ceterique priores eum adhibebant; scilicet initio verborum ante vocales fere non auditur, itaque Plato in dialogo Cratylo, quo veriloquium vocabulorum pronuntiationem sequens investigat, nihil de aspero dixit, cui quidem pro nihilo est, item ceteris scriptoribus, qui verbis ambiguis ludunt. Sed plane post consonantes tenues aspere auditur, ut *μεθ' ἡμῶν,* nec rudissimus quidem homo agrestis *μέτ' ἡμῶν* dixerit, qui quidem nunc facete, *ὁ Θεὸς μεθ' ἡμῶν* et *ὁ Θεὸς μὲ* (id est *μετὰ*) *θυμόν,* jocatur. Ita vulgo *ἀφόταν* i. e. donec *ἀπὸ ὅταν.* Porro *χ* pro *κ, νύχτα, χτίζω, δάχτυλος* pro *νύκτα, κτίζω, δάκτυλος,* ita olim Iones *δέκομαι, οὐκὶ* sed Athenienses *δέχομαι, οὐχὶ*; *φ* pro *π,* ut *κόφτω, φτερὰ, κρύφτω* pro *κόπτω, πτερὰ, κρύπτω,* confer *κρύπτω* et *κρύφα* et Dorum *κῆφα* pro *καὶ εἶπα* aliaque.

§ X. De consonantibus.

De litterarum consonantium enuntiatione longius quaerere nobis nihil prodest, nisi de consonantibus

compositis et de iis, quae diverse quam ab affinibus nationibus pronuntiantur. Consonantes igitur ex litteris tenuibus *κ, π, τ* factae, aspero spiritu apposito, sunt *φ, χ, ϑ* et mediae *β, γ, δ,* et litttera *σ* addita, *ξ, ψ, ζ.*

I. *De mediis.*

Primum ergo de mediis *β, γ, δ* secundum litterarum ordinem disputabimus. Etym. Magn. Gudian. p. 680. *Διατὶ λέγονται μέσα; διότι τῶν μὲν ψιλῶν (κ, π, τ,) εἰσὶ δασύτερα, τῶν δὲ δασέων (ϑ, φ, χ) ψιλότερα.* Vide Dionys. Thrax., Bekk. Anecdot. II. p. 631.

De littera *B.*

Littera *B* ex *π* est orta digammo adjuncto ut *φ* ex *ΠH* et media inter *π* et *φ* est. Etym. Magn. p. 680, *τὸ μὲν β μέσον τοῦ π καὶ φ.* Deinde saepissime propter nimiam affinitatem invicem permutantur: Pausanias (p. 764) *πάλσαμα* pro *βάλσαμα,* sic *ἑβδομὰς* pro *ἑπτὰς; ἀβλοπὲς, ἀβλαβὲς, Κρῆτες* (Hesych.) *Βλέφαρον,* Latini *palpebra.* Confer. vocabulum *ϑρίαμβος,* Latini *triumpus* (Cic. Or. 48, 168), tum *triumphus* (Priscian. I. p. 20), alia exempla Boeckh Staatshal. der Athener II. p. 715. Permutatione litterarum *β* et *π,* a vocabulo *ἀβέλιος* i. e. Sol, *Ἀπέλιος,* quod non invenitur, sed contractum *Ἀπλοῦς* (C. I. no. 1766 *Ἀπλουνι*), *Ἀπόλλων* factum est (vid. Preller griechisch. Mythol. p. 152). Porro (Etym. Magn. Gudian.) *Ἔρεφος, καὶ ἔρεβος,* (Etym. Magn.) *Ἀμφίλαφον, τὸ ἑκατέρωϑεν ληπτὸν κατὰ συγγένειαν τοῦ β εἰς φ*[1]), pariter

[1]) Placentinius (de recta Graec. sermon. pronuntian. p. 122) „quin etiam apud ipsos Graecos *βῆτα* in *φ* mutatum est, adeo

et Macedones *Βερενίκη, Βίλιππος* pro *Φερενίκη, Φίλιππος*. Pronuntiatio igitur illius *β* mitis est, de qua re satis in digammo disputavimus, cujus vice littera *β* fungitur, aequalis ac littera *v* et Latina *v*, ut *Fεικάτι, βεικάτι, viginti; φάFος, φάνος, φάβος; ἔFασον, ἔνασον, ἔβασον* (Oeconomus p. 48 sq.). Quomodo Aeoles *β* ante *ρ* pro digammo et posteriore aspero, Eustathius (ad Odyss. *κ* p. 1654, 22) omnesque alii grammatici docent, ut *βρίζα, Fρίζα, ῥίζα; βρόδον, Fρόδον, ῥόδον* (confer. Priscian. ed. Keil I. p. 18). Deinde illud *β* pro digammo analogon litterae *f* vel *φ* est, ut *ῥιγέω, frigeo; φρίσσω, βρέμω, fremo; βασκαίνω, fascino;* et propter nimiam mollitiem omittitur, *βρυχάομαι, rugio; βρέχω, rigo*. Idcirco littera *β* suaviter pronuntiatur, quam ob causam inserta verbis sonum gratissimum attribuit, ut *γαμβρὸς, μεσημβρινός*. Eustath. ad Il. *ε* p. 548, 14, *καὶ πλεονασμῷ τοῦ β διὰ καλλιφωνίαν ὡς ἐπὶ τοῦ γαμβρὸς καὶ μεσημβρία καὶ τῶν ὁμοίων γίνεται*. Schol. Theocrit. ad Idyl. I. 15. *Τὸ μεσημβρινὸν ἐκ τοῦ μεσημερινοῦ ἀποβολῇ τοῦ ε καὶ προσθέσει τοῦ β*, sic *μέμβλεται, ὄμβριμος*. Littera *β* interjecta est *διὰ καλλιφωνίαν*, quia auribus Graecis *μρ* ita ut *μλ* barbara et dura sunt, parique ratione *βροτὸς* pro *μροτὸς* aut ordine immutato *μορτὸς* (vide Giese Aeolisch. Dialect. p. 104) dicunt. Aequaliter suavis soni gratia ante *δ* apponitur: Hesych. *σίβδη, σίδη; ἀλιβδύειν, ἀλιδύειν*. Etym. Magn. *ἀλιδύειν — Αἰολικῶς πλεονασμῷ τοῦ β ὡς σίδειν σίβδειν*.

---

liquet, pronuntiatum illud fuisse molliuscule: Dicunt enim *βλάξω* et *φλάξω, βάσκω* et *φάσκω, στροβέω* et *στροφέω*." Confer. Oeconomus *Ἑλλ. προφορ.* p. 41 sqq.

Illud *β* non ut Latinum *b* sed potius ut *μ* quodammodo sonat, inde (Callimach. ed. Meinek. p. 29) *προμολῆς* perperam pro *προβολῆς*. Vir doctus Fischer recte animadvertit (ad J. Veller, Gr. Gram. I. p. 156): „Atque huc pertinet nomen *Ἀμάντια* pro *Ἀβάντια*, quo Antigonus usus est in descriptione Macedoniae *κατὰ βαρβαρικὴν τροπὴν τοῦ β εἰς μ*. Nam Latini litteram *b* in litteram *m* mutarunt multis in vocabulis.“ Apud Graecos tamen saepius sed rarius apud Latinos nec multis in vocabulis, ut Fischerus docet (confer. Leop. Schneider Lat. Gram. I. p. 229 sq.). Ita *τερέμινθος, τερέβινθος; κυμερνήτης, κυβερνήτης; βάρμιτος, βάρβιτος* (vide Etym. Magn. et Ahrens dial. Aeol. § 7, 6). Hesych. *βύρμακας, μύρμηκας;* Etym. Magn. *ἐπιστοβέωσι, ἐπιστομέωσι;* idem 370 *ἐρεμνὴ, ἐρεβεννή;* p. 709 *παρὰ τὸ σέβω, σεβνὸς καὶ σεμνὸς* (vide Thiersch. Gr. Gram. § 173, 1 p. 228); sic codices *κάμβαλε* pro *κάββαλε* etc. Littera *μ* ad *β* ut *γ* ad *ν* respondet, et ut litteram *β* ita *μ* delicate sonantem Graeci saepe inseruerunt (Fischer. Animadvers. Vell. G. G. I. p. 181 sq.). Lingua ipsa litteram *β* aequaliter atque digamma vel *υ* aut *φ* et similiter ac *μ* etiam pronuntiari docet, minime pariter ac Latinam *b*, cujus sonus *μπ* barbarus est; idcirco littera *μ* pro *β* jure barbara dicitur, quae mollis et suavis est. *B* secundum ordinem litterarum formamque ad *b*, sed pronuntiatione ad *υ* respondet, ut multa vocabula sine regulis grammaticis a lingua Graeca translata aperte docent, ut, *volo, βόλομαι; levisticum, λιβωστικὸν; valva, βαλβὶς; varius, βαλιὸς; vis, Ϝις, βία; vita, βίος; veho, βαίνω; vado, βάζω; vocare, βοάω; vicia, βίκιον; vitis, βότρυς; violo, βιάζω; vescor,*

βόσκω; voro, βορὰ, βιβρώσκω; volva, βολβὸς; vola, βολή; ventus affinis est verbis *βύω, βύζω*. Ergo *V* ad *β* secundum sonum respondet, minime autem ad litteram *b*, quae aspera et dura est. Quintilianus (Inst. orator. XII, 10, 32): „Quid, quod syllabae nostrae in *B* litteram et *D* innituntur adeo aspere, ut plerique non antiquissimorum quidem sed tamen veterum mollire temptaverint non solum *aversa* pro *abversis* dicendo sed et in praepositione *B* litterae absonam et ipsam *S* subjiciendo.“ Hesych. *βήκη* = *χιμαίρα* appellat, similiter Cratinus oves (Etym. Magn. voc. *βή*) *βὴ, βὴ* balare dicit, et Latinorum *vacca* ex vocabulo *βήκη*, more Dorico *βάκα*, ortum est, quo *β* ad *V* potius respondet pronuntiatione Graeca, litterarum autem ordine ad *b*[1]). Item Graeci litteram *V* littera *β* aut *ου* ut *Βάρρων, Οὐάρων, Varro* reddebant. Littera *V* igitur ad Graecam *β* respondet et rectissime Julianus (Orat. 2. p. 71) observat, *ἔστι δὲ αὐτοῦ* (Latini *V*) *σύμβολον χαρακτὴρ εἷς· ὀνομάζουσι δὲ αὐτὸν ου καὶ χρῶνται ἀντὶ τοῦ βῆτα πολλάκις*. Pariter Graeci *β* pro littera *ϐ*, et recentiores *μπ*, ut ad pronuntiationem propius accederent, utebantur. Hodie *β* quasi *V* pronuntiamus modo antiquo et genuino, ut vidimus, nam omnes omnium gentium barbararum auctoritates, quominus Graeci hanc litteram suavissime protulerint, nihil impedierunt (confer. Bloch Revision der Lehr. v. d. Aussprach. d. Alt-Griech. p. 37 sqq.; Seyffarth p. 549).

[1]) Confer. Oeconomus (*περ. Ἑλλην. προφορ, σελ.* 35 sqq.) qui insipientias quoque sapientium tamen hominum, quae *βὴ βὴ* = *bé bé* et *βίνει* i. q. *bini* sunt, iratus adnotat, et p. 39 et 59 et 154 *α*, magna cum eloquentia explicat.

De littera Γ.

Littera Γ media inter κ et χ est. Pronuntiatio mollis grata prope ad *gh* vel *jh* accedit, quae definitioni Dionysii Halicarnassensis (de Compos. Verb. XIV ed. Reiske p. 84, 10) congruit, *τῆς γλώσσης ἀνισταμένης κατὰ τὸν οὐρανὸν ἐγγὺς τῆς φάρυγγος, καὶ τῆς ἀρτηρίας ὑπηχούσης τῷ πνεύματι, τὸ κ καὶ τὸ χ καὶ τὸ γ, οὐδενὶ ταῦτα διαφέροντα τῷ σχήματι ἀλλήλων, πλὴν ὅτι τὸ μὲν κ φιλῶς λέγεται, τὸ δὲ χ δασέως, τὸ δὲ γ μετρίως καὶ μεταξὺ τούτων.* Vide Anecd. Bekk. Scholl. ad Dionys. Thrac. p. 810. Ergo ut *g* prolatum non esse, Plutarchus (quaest. Rom. p. 277 *D*) auctor est, qui litteras κ et γ apud Latinos affines esse docet, et γ in κ depravatum: „*Διατὶ τὰ κρεωπώλια μάκελλα καὶ μακέλλας καλοῦσι* (*Ῥωμαῖοι*); *πότερον ἀπὸ τῶν μαγείρων τοὔνομα διαφθαρὲν, ὥσπερ ἄλλα πολλὰ, τῇ συνηθείᾳ κεκράτηκε; καὶ γὰρ τὸ κ πρὸς τὸ γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς. Ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γ, Καρβιλίου Σπορίου προσεξευρόντος.*" Quis tandem melius et suavius gratissimum sonum et dulcissimum litterae γ verbis mellitioribus describere potuerit quam Plato (Cratyl. p. 427 *B*). „*Ὅτι δὲ ὀλισθάνει μάλιστα ἐν τῷ λάβδα ἡ γλῶττα κατιδὼν, ἀφομοιῶν ὠνόμασε τά τε λεῖα καὶ αὐτὸ τὸ ὀλισθάνειν καὶ τὸ λιπαρὸν καὶ τὸ κολλῶδες καὶ τἆλλα πάντα τὰ τοιαῦτα· ᾗ δ' ὀλισθανούσης τῆς γλώσσης ἀντιλαμβάνεται ἡ τοῦ γάμμα δύναμις, τὸ γλίσχρον ἀπεμιμήσατο καὶ γλυκὺ καὶ γλοιῶδες.*"

Si γ geminatur aut κ sequitur, prius naso quasi ν profertur, posterius a Latino *g* minime abhorret, ita *ἔγγονος, Enkel; ἄγγελος, Engel; ἀγκὼν, angustus.* Si γ

aequale ac *g* fuisset, geminato γ prius γ in ν vel *n* transire non potuit, sicut *agger* Latinum ut *anger* non profertur. Pronuntiatio litterae γ ut ν orta est, quia litterae γγ et γκ conjunctim, propter illud γλοιῶδες et γλίσχρον Platonis, nisi littera ν inserta, proferri nullo modo possunt. Ita litterae γ illud ν inest, et saepe antiquo tempore γ pro ν substituebatur, ut τωγκατοίκων pro τῶν κατοίκων ita ἔγγονος pro ἔνγονος. In ceteris compositionibus, ut κγ, integram pronuntiationem conservat, cujus immutandae nulla est causa. Idcirco falsissime Giese (Aeol. Dialect. p. 91): „Daher bemerkte Buttmann Gr. Gram. II. S. 397 sehr richtig, dafs ἔγγονος und ἔκγονος ganz auf gleiche Weise ausgesprochen worden sei d. h. γ wie κ wurde als *g* ausgesprochen." Profecto ἔκγονος et ἔγγονος varie pronuntiabantur diversaque significant, nimirum ἔγγονος filius quasi ἔνγονος et ἔκγονος nepos quasi *ekjonos*, similiter tamen ἀγκὼν et ἔγγονος non diverse ut Germana *Enkel* et *Engel*, nam apud eos purum *n* (ν), sed apud Graecos γ acsi νγ antecederet; hoc modo ἔγγονος, ἔνγ-νγονος et ἀγκὼν, ἀνγ-κὼν, sed ἔκγονος sicut ἔκ-γονος, nam litterae ν inserendae nulla causa est, atque etiamsi esset, tamen ἔκ-νγονος nemo pronuntiare queat, nihiloque magis, si aequalis ac *g* esset, ut *exgonos,* nisi forte viri doctissimi Giese et Buttmannus potuerunt. Vide etiam Oeconomi argumentationem, qui in universum plurimas res sanas praebet (p. 679 sqq.). Pronuntiatio litterarum γ et κ, quamquam similis apparet auribus Graecis, admodum distinguitur. Graeci elegantissime raucam asperitatem geminatarum litterarum γγ, indito gratissimo sono liquidae ν, suavissimam rediderunt. Littera

γ igitur nec tantum tenuis nec tantum aspera, media igitur est.

Apud veteres eam pro digammo substitutam disputavimus, item mollitie ad litteram β respondet ut γλέφαρα pro βλέφαρα[1]), βλήχων pro γλήχων etc. Ut littera β ante ρ ita γ ante ν posita vocem dulcem et canoram efficit, sed γ praeterea ν attrahere amat, ut κάμπτω, γνάπτω, et propter nimiam mollitiam sicut illud digamma obscuratum evanuit, ita νέφος γνόφος Eustath. Od. μ, 1722: ἀπὸ τοῦ νέφος νόφος καὶ γνόφος Αἰολικόν; Etym. Mag. voc. Γνόφος, pariter ἀγνοέω ex ἀνοέω; Sophocl. Electr. v. 582 μετάγνοιαν, Schol. ἀντὶ τοῦ μετάνοιαν· porro γδοῦπος et δοῦπος. Hodie vulgus nostrum γνέμα et γνέθω pro νῆμα et νήθω, ἔγνοια pro ἔννοια, τυραγνία pro τυραννία. Eustath. Il. σ p. 1160: Ἐν δὲ Ῥητορικῷ λεξικῷ τοῦ Ἀλίου Διονυσίου φέρεται καὶ ὄλιον τὸ ὀλίγον. Confer. Herodian. π. μον. λεξ. ed. Dindorf. 19, 23. Ἴωγα pro ἔγωγε Boeoti (Hesych.); Φιάλια pro Φιγάλια Pausan. VIII, 3, 12, sic αἶα et γαῖα. Hodie vulgari sermone pariter Graeci pro λέγω et διαλέγω, λέω et διαλέω, quia littera λ et vocales molliores mollem sonum litterae γ exstinguunt; ita Latini *lingua* ex γλῶσσα, *lac* ex γάλακ.

Littera Γ consentaneum est mitem et liquidam[2]) esse, deinde γ et λ commutantur, ut *laetor* γήθομαι; μόλις, μόγις. Denique locutionem litterae γ antiqua aetate minime disparem quam hodie esse prorsus intellegimus. Omnino gamma mollis est et ut jod con-

[1]) Pindar. Pyth. IV. 216, Isthm. VIII v. 99.
[2]) Plato Cratyl. p. 427 B.

sonans pronuntiatur, fere ut Latina vocabula *majus, magis, magnus; pulejum, pulegium*, fere inquam, nam in littera *j* semper vocalis *i* auditur et admodum debilis est, quare perperam *jamos* pro *γάμος*, potius *jjamos* et rectius *ghamos*, non modo Berolinensium civium *Jott* et *Jans* pro *Gott* et *Gans*, sed ut iidem *g* in vocabulis *regnen, segnen, ewig* pronuntiant. Est similior antiqua scriptura Latina *gv* pro *g* ut *urgvere* i. e. *εἴργειν* (Leo Meyer Vergleich. Gramm. I. p. 36). Denique gamma, cum medium inter *κ* et *χ* et par et forma et locutione digammi simileque litteris *β* et *ν* sit, ac prope non audiatur ante liquidas, molliter grata quadam cum asperitate proferendum est (confer. Mullach Gr. Gram. vulg. p. 111).

De littera *Δ*.

Littera *Δ* media inter *τ* et *ϑ* cum utraque commutatur, ut *τάπις, δάπις; ψαδυρὸν, ψαϑυρὸν* (Hesych.); *ἐπιμηϑὲς, ἐπιμηδὲς; ἐντελέχεια, ἐνδελέχεια; Ἄφυτις, ἄφυδις; ὀγδοὰς* pro *ὀκτὰς; δὴν* et *ϑὴν*[1]); sic (Hom. Od. I. v. 366) *Οὖτις* vel *Οὐδεὶς* pro *Ὀδυσσεὺς* sive *Οὐδυσσεὺς* annominatione dictum est quod fere idem sonat et *εὺς* i. e. *εFς*, quod mollissime auditur, tacite praeteritur. Forma et ordine litterarum Latinae *d* respondet, pronuntiatione tamen dura sicut Latina *d* non est, sed quasi *dj* vel *dh*, Anglogallicum *th* et inter dentes lingua compressa stridore quodam proferenda est (Anecd. Bekk. Scholl. ad Dionys. Thrac. p. 811. Dionys. Hallic. Cap. XIV). Propter aequalem pronuntiationem et mollitiem vice litterae *β* fungitur,

[1]) vide Fischer (Veller. Gram. I p. 165 sq.) et Seyffarthus (p. 561).

exempli causa, *ὀδελὸς, ὀβελὸς; βέλεαρ* pro *δέλεαρ*. Et. Mg. 200, 28: *Βλὴρ Αἰολικῶς τὸ δέλεαρ. οἱ Αἰολεῖς τὸ δ εἰς β τρέπουσι, τοὺς γὰρ δελφῖνας βελφῖνας φασί· καὶ τοὺς Δελφοὺς Βελφούς· οὕτως οὖν δέλεαρ βέλεαρ· καὶ κατὰ συγκοπὴν καὶ συναλοιφὴν βλὴρ πεποίηται· οὕτω καὶ οἱ Βοιωτοὶ ποιοῦσι.* Eandem ob causam vice litterae *γ* ut *δνόφος, γνόφος; δᾶ, γᾶ; δίφουρα* (Hesych.), *γέφυρα*; sic vulgo nostrates *διὰ, διατὶ* etiam *γιὰ, γιατὶ* et ex *ἐκδύω, ᾿κδυμνὸς, γδυμνὸς, γυμνός*. Ante *μ* quasi *σ* auditur ut *ὀδμὴ, ὀσμή; ἴδμεν, ἴσμεν*; sed ut *ς* molle a littera *ζ* haud discrepat ut Latinum *rosa*, *ῥόδον*; et *ὄζω, ὄδωδα; μασδὸς, μαζός; μᾶδδα, μάζα* etc. Littera *δ*, si *σ* anteponitur, ab affini *ϑ* nihil distat, ut *μαζὸς, μασδὸς* et *μασϑὸς*, item *μάζα, μάσϑα; ἔδω* (*ἔσδω*), *ἔσϑω*. Itaque cum littera *δ* tam delicata sit, quibusdam in compositionibus silentio praeteritam invenimus, velut *μόλιβδος, μόλιβος; μήνιδος, μήνιος*. Etym. Magn. 42, 18. *᾿Αΐδι — τὰ εἰς δος λήγοντα ὀνόματα ἀπὸ βαρυτόνων, εὑρίσκομεν παρ᾿ Ἴωσι καϑ᾿ ὑφαίρεσιν τοῦ δ λεγόμενα· οἷον μήνιδος, μήνιος; Πάριδος, Πάριος*; item *ῥάδιον, ῥᾷον; δρόσος, ros.* Sic suavis soni gratia insita *δ* est, e. g. *ἀνδρὸς* pro *ἀνρὸς*[1]), et *ψεδνὸς* i. e. *σπανὸς* vel *πσανός*. Deinde pronuntiatione dispari Graeci recentiores haudquaquam utuntur, nam *δ* a *d* Latina enuntiatione admo-

[1]) Ergo recte Plato (Cratyl. p. 413 *E*) *ἀνδρεία* et *ἀνρεία* comparat, inde Seyffarthus (p. 445) vir quidem doctus sed imperitus sonorum litterarum Graecarum haec argumentatur: „Eas ob caussas (nimirum propter hanc ipsam rei veritatem, quia *δ* prope non auditur et *η* ad *υ* respondet) Platonicis hallucinationibus istis nihil ponderis tribui potest.“

dum differt. Quintilianus, qui hilariorem orationem Graecam laudat, litteras dulcius spirantes apud eos, quibus Latina lingua caret, annotat. Quae praeter alias *β* et *δ* gratissimae sunt. De Latinis *b* et *d* (XII, 10, 32) dicit: „Quod syllabae nostrae in *B* litteram et *D* innituntur adeo aspere, ut plerique non antiquissimorum quidem sed tamen veterum mollire temptaverint.“ Latini si quando aures sequentes sonum *δ* vocabulorum Graecorum reddere student, litteram *l* frequenter substituunt, velut *δάφνη*, Hesychius *λάφνη*, *Περγαῖοι*, Latini *laurum; δάκρυμα, lacrima; δαήρ, levir; Ὀδυσσεὺς, Ulixes; ὄδωδα, oleo;* ita *δορὰ* et *δορὸς* (Et. Magn. 284, 12), *lorum* inde *lorica,* perperam autem Schneider (Lat. Gram. I, I. p. 255) *θώρηξ, lorica,* quod alius originis est, et a Latinis *thorax* quoque dicitur. Denique rectissime nostrates litteram *δ* pronuntiare[1]) constat, nam unde gentium nisi antiquitus hanc pronuntiationem acceperunt? Eam ipsam ob causam, quod ab aliorum populorum locutione differt, primitiva esse debet. Nos profecto rectissime pronuntiamus, quos viri docti aspernantur potius Latinis rectam pronuntiationem Graecam quam Graecis ipsis tribuentes. Quintilianus frustra docet (Or. Inst. XII, 10, 39): „Possumus autem rerum et modo et judicio esse similes, verborum gratia, quam in ipsis non habemus, extrinsecus condienda est.“ At Hermannus (de emend. ration. Graec. Gramm. II. p. 54) tamen nostram pro-

[1]) Buttmannus (Gr. Gram. § 3, 2. Anmk. 4*) consentire quodammodo videtur, addita conditione, ne tam valde (nicht so stark), quo vocabulo ambiguo saepe homines philologi tergiversantes de rebus incertis utuntur.

nuntiationem consonantium integram et genuinam esse probat.

II. *De litteris aspiratis.*

De pronuntiatione litterarum *Θ, Φ, X* monere opus non est, ut aspere proferantur, cum asperae sint, non aeque ac litterae tenues *κ, π, τ,* nisi forte spiritus asper *KH, TH, ΠH* abundat. Littera *Θ* Anglicam *Th* et *Φ* Latinam *f* aequat, sed *φ* suavior quam *v* et mollior quam *f* est, ut *β* et *υ* delicatiora Latinis *b* et *v*. Cujus rei Quintilianus (XII, 10, 27 sq.) optimus judex est. „Nesio," ait, „quomodo hilarior protinus renidet oratio, ut in *Ephyris* et *Zephyris*, quae (*φ* et *υ*), si nostris litteris (*f* et *v*) scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient, et velut in locum earum succedent tristes et horridae, quibus Graecia caret. Nam et illa, quae est sexta (*f*) nostrarum, paene non humana voce, vel omnino non voce potius inter discrimina dentium efflanda est; quae etiam cum vocalem proxima accipit, quassa quodammodo utique quoties aliquam consonantem frangit, et in hoc ipso *frangit* nullo fit horridior." Confer. eundem (I, 4, 14) „contra Graeci aspirare solent ut pro *F*undanio Cicero testem, qui primam ejus litteram (*F* Graeca *φ*) dicere non possit, irridet;" et Priscianum (ed. Keil I. p. 543): „Hoc tamen scire debemus, quod non tam fixis labris est pronuntianda *f* quomodo *ph*." Rectissime et Quintilianus et Priscianus pronuntiationem definierunt, et ille elegantior quam multi litterarum studiosi linguaeque Graecae peritissimus Latinas tristes et horridas, quibus Graecia caret, suavitatem Graecam desiderans graviter

notat. Littera *X* magis illam *h* quam *ch* pronuntiatione aequat, nam quamvis aspera sit, tamen mollis dulcisque et minime horrida et tristis. Est inter *h* et *ch*, asperior quam *h* et mollior quam *ch*.

Litterae aspiratae inter se commutantur propter nimiam gratissimi soni similitudinem. Ita litterae χ et φ, *χάραξ, φάραξ; τρύχος, τρύφος*; fortasse *ἰσχὺς* et *ὀσφὺς*. Sic χ et ϑ ut *ὄρνιϑα, ὄρνιχα* item φ et ϑ velut *ϑλᾶν, φλᾶν; ϑλίβειν, φλίβειν; ϑὴρ, φὴρ*. Deinde littera χ minus ut *ch* quam ut *h* pronuntiatur, quamobrem frequenter Graeci et Latini, litteram *h* subjicientes, cum liquida λ junctam abjiciunt, sicut *χλαῖνα, laena; χλιαρὸς, λιαρὸς; χλαρὸς, λαρὸς*; ita *h* pro χ posita est, *hortus, χόρτος; hiems, χειμών*. Cum *h* signum asperi fuerit et littera χ ad *h* responderit, hanc nec dure nec horride enuntiare debemus. Ut Latinum *h* vice spiritus asperi fungitur, item litteram ϑ, Giese (Aeolisch. Dial. p. 235 sq.) docet. Sed solam speciem habet, nam illud ϑ re vera articulus neutrius *τὸ* est, quod vocabulo adjunctum, littera *o* omissa, aspirationem attrahit, velut *ϑειλόπεδον, ϑαμὰ* pro *τ' εἰλόπεδον, τ' ἅμα*, tum copulatum usus servavit, sicut *ϑάτερον* ex *τ' ἕτερον* natum est, Latinum *ceterum*. Deinde ϑ primitivum vel ipsum spiritum asperum esse apparet. Confer *σάλος, ἅλς* (*sal*) *ϑάλασσα*, (Hesych.) *δάλασσα Λάκωνες*, profecto etiam *σάλασσα* sicut *ϑεὸς, σιὸς*, quae vocabula, ϑ pro aspero fuisse et pronuntiationem dulcem et delicatam dignam elegantissima lingua Graeca, aperte indicant. Litterae ϑ asperae simul et blandissimae, multisque ad proferendam difficili, Lacones σ substituebant ut *σιὸς, ϑεὸς*, sic Latini

Apollo *Pisius* pro Apollo *Pythius* etc., (vide Schmitz Rhein. Museum Vol. XVIII p. 138), et ipsa in σ transiit, cum littera dura ut τ, μ aliaeque sequuntur velut ὠϑίζω, ὠστίζω. Latini hac littera carent, nisi forte *th* ut ϑ pronuntiaverint.

Latini quamvis spiritum asperum principio ut Graeci habent, illo tamen minus utuntur et quasi pro nihilo iis est, nam saepissime omittunt, et, ubi ascribitur, saepe nesciunt, multaque verba utrum cum aspero an sine ulla aspiratione proferenda sint, haesitant, litteris igitur ϑ, φ, χ carent, quas postea in verbis Graecis demum adhibent. Propterea aspero neglecto et digammo obscurato, cum vocalem *u* prae consonanti *v* praeferrent, et obdurato, cum *f*, quod digamma est, auctore Quintiliano, tristem et horridam litteram redderent, prorsus litteras quoque *b, g, d* durius et horridius pronuntiatas esse elucet. Litterae ergo aspiratae *th, pt, ch*[1]), recentissimae sunt, et in vocabulis Graecae originis inveniuntur. Priscianus (ed. Keil I p. 18): „Aspiratio“, ait, „ante vocales omnes poni potest, post consonantes autem quattuor tantummodo more antiquo Graecorum, *c, t, p, r*, quae *ch* (χ), *th* (ϑ), *ph* (φ), *rh* (ῥ) sunt.“ Cum ergo more antiquo Graecorum asperae sint, litterae *b, g, d*, mediae fieri non possunt. Quas cum Priscianus ceterique Grammatici medias appellent, Graecas ϑ, φ, χ spectant. Nam idem (I. p. 18) „tanta,“ ait, „est cognitio earum, quod invicem inveniuntur pro se positae

[1]) Vide Program. 1862/63 Düren Dr. Schmitz, de aspiratar. Graec. Latin. pronunt. p. 11 sqq. qui multa exempla praebet et sententias eruditissimi Ritschellii de titulo Mumiano affert.

in quibusdam dictionibus ut *ambo, αμφω* etc." Ille has cum asperis consonantibus Graecis commutat, ut *ambo, ἄμφω; caere, ἀπὸ τοῦ χαῖρε; puniceus, φοινίκεος; deus, θεός; purpureum, πορφύρεον*. Consonantibus ergo asperis usi non sunt, nam *f* vice digammi fungebatur, postea pro *φ* positum est. Deinde *β, γ, δ* aequas paresque judicare cum Latinis *b, g, d* respuimus, quod Latini aspirationibus carent, quia *θ, φ, χ* ad *d, p, c,* ut *θεός, deus; φοινίκεος, purpureus; caere, χαῖρε* respondent, nam, etsi mediae, essent durioses litteris *β, γ, δ* quibus litterae *θ, φ, χ* oppositae sunt. Apud Latinos et spiritus asper et digamma penitus interierunt, non item apud Graecos, qui et digamma et asperum in his litteris insita conservaverunt. Litteris enim *β, γ, δ* digamma haud multum dispar a spiritu aspero et litteris *θ, φ, χ* asper purus a digammo disjunctus inest. Quare illae litterae antiquiores illis *θ, φ, χ* sunt et monumentis inscriptis antiquitatis et pronuntiatione affirmantibus. Deinde Graeci integras has conservaverunt, nam litterae *b, c, d* tam durae et horridae sunt, ut eaedem pro digammo substitutae et quasi molles omissae, ut supra diximus, nullo modo esse possint. Latini igitur has litteras antiquissima aetate a Graecis acceptas, digammo jam florente, pariter pronuntiaverint. Tum alio modo pro suo ingenio et natura vocis linguam usu et ratione temperantes litteras *β, γ, δ* ut hodie *b, g, d* pronuntiabant, et apparet, eos vel mixtos cum aliis gentibus vel ipsos has nimium delicatas suavi quadam asperitate prolatas litteras *β, γ, δ,* eo modo pronuntiare non valentes quo Graeci, sua cuique littera tenui anteposita pronuntiasse,

nam alioquin soni litterarum *b, g, d* inexplicabiles sunt. Hoc quidem modo *πβ* i. e. *b*, *κγ* i. e. *g*, *τδ* i. e. *d*. Litterarum igitur et tenuium et mediarum et aspiratarum pronuntiatio Graeca, qualem demonstravimus, antiquissima est. Non ergo Graeci antiquam pronuntiationem sed Latini mutaverunt. Exempli causa *β* non *μπ* vel *b* sed quasi Latinum *v* paulo asperius audiebatur, cum vice digammi fungi animadverterimus. Quodsi qui *μπ* vel *b* antiquiorem esse judicant, falluntur, pariter Oeconomus (p. 56) *τὸ πατῶ καὶ βατῶ, φέρ' εἰπεῖν, ἀρχαίως ἐπροφέρετο μπατῶ, μβατῶ* (*mbato, bato*). Quod fieri non potest nec exempla, ex quibus hoc argumentatur confirmant, nam cum Aeoles *ὄππατα* pro *ὄμματα* dicant, idioma quoddam est, nullo autem tempore *μπ* pro *β* invenimus, solum *μ* pro *β* quod barbarum esse (Fischer Animadv. Veller. Gram. p. 156) et propter similem pronuntiationem mutatum, animadvertimus. Ille vates doctissimus Oeconomus de litteris Graecis multa vera conjecit, et acuta diligentia, non minus amore patrio, originem quodammodo investigans *b, g, d* ex *μπ, νκ, ντ* orta esse (p. 77) docet, quae probaremus, si Latinam pronuntiationem sequeremur et ipsam primitivam haberemus. De qua re meam opinionem breviter jam proposui.

Litterae tandem *ϑ, φ, χ* nostro modo, sicut mediae *β, γ, δ* pronuntiandae sunt, nam has genuinas admodum servavimus, et qui Latinum modum sequuntur, vehementer falluntur. Non minus vir doctus Schmitz in supra memorata dissertatione (Program. Düren 1862/63), qui Georgio Curtio pristinam et genuinam pronuntiationem investigasse laudans obsequitur. Qui viri *ϑ* ut *th*

et φ ut *πh* et χ ut *κh*, nimirum primum tenues tum aspirationes, protulisse antiquos Graecos docent. Schmitzius uberima copia inscriptionum, quibus partim tantum tenues partim cum aspero scriptae inveniuntur, cumulata, pronuntiationem rectam et pristinam se investigasse putat. Quam indocte ille vir doctus agat, ne dicere quidem possum; nam e. c., littera *Z* composita litteris σ et δ est, qui vero Graecus politus primum σ tum δ, utramque auditam, pronuntiasset? Pristino tamen tempore σδ pro ζ dicebatur, tum lingua perfecta unus et purus sonus litteris σ et δ mixtis et confusis audiebatur, qua ratione litterae quoque ϑ, φ, χ. Profecto eo quod Latini *th* et *ph* et *ch* et antiquissima aetate Graeci *TH*, *ΠH*, *KH* scribebant; illi viri inducti sunt. Porro praecepta Dionysii Halicarnassensis ceterorumque Grammaticorum hujusmodi pronuntiationem non spectant, si recte intelligis, qua de re plura dicere haud libet, quippe cum res perspicua et clara prorsus sit.

III. *De litteris Ξ, Ψ, Z.*

Paucis verbis litteras *Ξ*, *Ψ*, *Z* commemorabimus. Ex tenui κ, littera σ adjuncta, ξ, pariter ψ ex π profectum est (Buttmann, Griech. Gram. § 22). In inscriptionibus Atticis pro ξ et ψ, *XΣ* et *ΦΣ* invenimus; rursus soni duri mitigantur, nam aures Graecae maximeque Atticae duritiem elegantissime evitant, ergo admodum sum stupefactus, quod nonnulli viri docti hanc ipsam mollitiem et dulcedinem sonorum Graecis hujus aetatis objiciunt, quam quidem jam ipsi barbaro modo paululum obduraverunt. Litterae ξ et ψ litteras *x* et *ps* aequiparant.

Littera *Z*, sive ex *δσ* sive ex *σδ* composita est, pronuntiationis nihil interest. Profertur ut Francogallicum *z* aut *j* itaque *ζυγὸν, jugum, joug; ζεύγνυμι, jungo, joindre; Z* aeque molle *σ*[1]), ut Latinum *s*, velut *Ζμύρνα, ζμικρὸν*. Fischer (I. p. 169): „Ex iis" ait „quae ab Eustathio ad Il. *β* p. 228, 28 disputata sunt[2]), cognoscitur, Graecos veteres dixisse *Ζμύρναν* et *ζμικρὸν*, quibus in vocabulis Graeci posteriorum temporum pro littera *ζ* litteram *σ* substituerint." (Catull. Carm. LXXXXV). Item Germani *ζέω, sieden; ζητῶ, suchen* (Leo Meyer p. 89). Sic geminatum *σ* pro *ζ* ut *σαλπίσσω, σαλπίζω*, et *λακτίσσω φράσσω* pro *λακτίζω φράζω*. Eustath. ad Il. *κ* p. 824, 27 ad Odyss. *κ* p. 1654, 23, *μύζω, μύσσω* Latini *musso* (Priscian. ed. Keil I. p. 26, 6). Idem (I. p. 36) „pro *ζ* vero," dicit, veteres, „quo pro *sd* conjunctis accipitur, *s* vel *ss* vel *d* posuisse." Et ad Doricum *δ* respondet, quod *δ* sicut *d* pronuntiari barbarum esse tandem intelleximus. Sic pro *γ* eadem ratione ut *ὀλίζον* pro *ὀλίγον*: Eustath. 389, 12 *Θετταλοὶ τὸ μικρὸν ὀλίζον καλοῦσιν ὅθεν καὶ ἡ πόλις*

---

[1]) Littera *σ* semper est sibilans et susurrans (Plato Cratylus p. 427; Anecdot. Graec. Bekk. p. 808) et suavi et dulci indole linguae Graecae penitus ingrata testimoniis veterum. Confer. Athenaeus X, 448 *d* et 455 *c* et XI, 467 *B*; Dionysius de comp. verb. c. XIV. Pindar fragm. 47 ed. Boeckh.

[2]) *Δωρικῶς μέρδω καὶ μετὰ τοῦ ζ ἐπιτατικοῦ κατὰ συγκοπὴν, ζμέρδω κατὰ τοὺς παλαιοὺς γραμματικούς· ἐφ' ὧν καὶ τὸ Ζμύρνα καὶ τὸ Ζμικρὸς διὰ τοῦ Ζ κατήρχετο.* Et p. 217, 24 *ὅτι δὲ τὸ σμῶδιξ καὶ τὸ σμερδάλιον καὶ τὸ σμικρὸν διὰ τοῦ ζ εἶχον τὴν προφορικὴν ἀρχὴν πάλαι ποτὲ διὰ τὸ παροίκως τοῦ ἤχου, δηλοῦσιν οἱ παλαιοὶ, ζμιρνύη, ζβέσαι, ζμῶσαι, ζμῆγμα.* Confer Sext. Empiric. ed. Bekker. p. 638.

(Ὀλιζών) ἐκλήθη διὰ τὸ μικρὰ εἶναι. Etym. Magn. vocab. Ὀλιζών; (Leo Meyer p. 91 sq.).

Pronuntiatio igitur suavis mollisque est aeque ac Latinum *s* nec vero *z*, nam ex δσ vel σδ non ex τσ vel *ts* nata est. Graeci posteriores antiquo modo ζ proferentes, cum barbarum *z* imitarentur τσ vel τζ scribebant. Littera ζ est molle σ veterum Graecorum, cujus loco postea aspera littera σ succedit. De ejus pronuntiatione agunt: Quintilianus (XII. 10, 27) „Namque est ipsis statim sonis durior, quando et jucundissimas ex Graecis litteris (υ et ζ) non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullae apud eos dulcius spirant etc.“ Haec littera suavis et dulcis grateque aspirata est. Dionysius Halicarn. (de composit. verb. XIV. p. 82) *Τριῶν δὲ τῶν ἄλλων γραμμάτων, ἃ δὴ διπλᾶ καλοῦνται, τὸ ζ μᾶλλον ἡδύνει τὴν ἀκοὴν τῶν ἑτέρων — τοῦτο δ' ἡσυχῇ τῷ πνεύματι δασύνεται καί ἐστι τῶν ὁμογενῶν γενναιότατον.* Et Plato (Cratyl. p. 427) illud ζ *πνευματῶδες* dicit atque vocabulo *ζέον* et naturam et pronuntiationem optime depingit, si quidem Germanice *siedendes*, transferimus.

Ceterae litterae eleganter et humaniter pari ratione pronuntiandae sunt; sic liquidae *λ, μ, ν, ρ,* quarum jam nomen liquidam locutionem postulat. Desinite ergo viri docti, Latinam duram Graecae normam habere, conferte enim Quintiliani (Inst. Or. XII. 10, 31) verba. „Quid? quod pleraque nos illa quasi mugiente littera cludimus *M*, qua nullum Graece verbum cadit: at illi *N* jucundam et in fine praecipue quasi tinnientem illius loco ponunt, quae est apud nos rarissima in clausulis.“ La-

tina igitur gratia linguae Graecae venustae admodum caret.

§ XI. De vocalibus.

Dialectis variis linguae Graecae considerandis earumque progressu memorando, litteram *A* antiquissimam esse et primitivam, qua Aeoles Doresque ceteris Graecis antiquiores utebantur, animadvertimus. Tempore littera *A* partim in *ο* tum in *υ*, partim in *ε* tum in *ι* transiit, hoc quidem ordine:

ᾰ ᾱ	*ᾰ ᾱ*
ο ω, ου, οι	*ε ε̄, αι (ae), η, ει*
υ ου, οι (u)	*ι η, ει.*

Opus non est progressionem litterae *A* exemplis illustrare, ne modum excedam neu repetam, quae multi viri doctissimi summa scientia rerum acutissime disputaverunt. Quorum nonnullos testes adhibeo. Leo Meyer (Vergleichende Gram. p. 97—154), Fischer (Animadvers. Veller. Gr. Gramm. I. p. 60—135), Ahrens de dialectis in his vocalibus, Schneider (lat. Gram. I. p. 9—113), praecipue W. Corssen (Aussprach. Vocalism. Betonung d. Lat. Sprache). Littera *A* propria vetustae linguae erat, tum *ε*, et *ε* producta *η*, *ει* et *αι*; prior *ε* Latinorum propria, altera *η* Graecorum, item *ι*, omnino ergo *ι*, *η*, *ει*, *οι*, *υ*, ut saepe eorum dialectos tractantes monuimus. De modo pronuntiandi vocales breves et noto et ceterorum populorum linguis communi scribere supersedeo. Sola locutio illius *υ* difficultatem quandam humanitatis studiosis affert.

§ XII. De littera *Υ*.

Littera *Υ* pura vocalis *ι* vel *u* non est, ut de digammo et spiritu aspero disserentes animadvertimus. Cum vice digammi fungitur, vocalis consonans aequalis litterae *β* est, tum vocalis est non tamen *u* vel *i* integra sed *ι* aspera quasi *hi* vel *hy*, quae inter litteras Latinas *v* et *u* locum obtinet, non autem dispar Francogallicae *u* (*ü*), quamquam pronuntiatio paululum congruit. Littera ergo *Υ* principio eadem atque digamma erat (Marius Victorin. 2468; Quintilian. XII. 10, 29). Priscianus (ed. Keil I. p. 15): „*Υ* vero," ait, „loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeolis digamma, unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim *F* digamma id est 'vau' etc." Ex quo vocalis *υ*, quem grammatici tenuem (*ψιλὸν*) appellant, ab ipso digammo distinguentes, orta est. Pro vocali *Υ* Aeoles litteram *I* substituebant, ceterique Graeci aequali pronuntiatione cum *I* commutabant, item Latini, e. g. *ἰψηλὸν, ἴψοθεν* pro *ὑψηλὸν, ὕψοθεν* (Johan. Gram. 2446. Ahrens Aeol. Dialect. § 12, 6), *βύβλος* et *βίβλος*, *μόλυβδος* et *μόλιβδος*, *τρύζω* et *τρίζω*, *ὕλη* *silva*, *στῦλος* *stilus*, *Ὀδυσσεὺς* *Ulixes*, *δάκρυμα* *lacrima*. Huc parecheses quaedam pertinent, quas Eustathius ad Il. p. 125 citat, ut *Φυλέα*[1]) *φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν. φίλησε φῦλον ἀοιδῶν*; et *φῦναι Φινέα*; et *ἔκειτο ἐν φύλλοις φίλον τετιήμενον ἦτορ*[2]). (Aristophan. Nub. v. 31 ed. Meineke):

[1]) Herm. recte *Φύλῃα*, vide Hesiod. fr. CCXX. ed. Goettling. et praef. p. XXXIV.

[2]) vide Georgiades de element. Graec. pronunt. p. 97.

Τρεῖς μναῖ διφρίσκου καὶ τροχοῖν Ἀμυνίᾳ. Scholiasta recte poetam comicum *Ἀμυνίαν* pro *Ἀμινίαν* praetorem[1]) vel *Ἀμεινίαν*, nam *ει* i. q. *ι* longa est, scripsisse, littera *υ* in *ι* mutata, cum praetorem cavillari nefas esset, dicit, et bene Georgiades (p. 101) haec animadvertit: „Consona igitur et olim *υ* et *ι* erant, paragrammatismo vero velut strategemate Aristophanes usus est, ut et praetorem irrideret, et si forte ob hoc accusaturus esset, coram judicibus se defendere posset, diversa scriptione exposita.“ Male autem ceteri interpretati sunt, velut Thomas Smith (Haverc. Syll. II. p. 539). Littera *Υ* ergo sonum *i* habet, acriter autem pronuntianda est, cum ei spiritus asper insit. Composita vocalibus *α* et *ε* i. e. *αυ* et *ευ* consonantem naturam aequam ac *βαῦ* fere *β* et latinam *v* recepit. Quodsi litterae aspiratae *ϑ*, *φ*, *χ* et tenues *κ*, *π*, *τ* et *σ* sequuntur, aspera, nimirum *φ*, secundum regulas aspirationis fit. De qua re supra diximus. Item *υ* in exordio verborum non *v* sed quasi *f* pronuntiatur, ut *Ὀρφεῦ* quasi *Orphef*. Rectissime, nam littera *υ* digamma est, latinum *v* vel *f*. Priscianus (I. p. 11 et p. 35, 46): „habebat,“ ait, „autem haec *f* littera hunc sonum, quem nunc habet *u* loco consonantis posita.“ Quod est *u* littera consonans *v* aeque ac *f*, ergo *υ* aeque ac *φ* pronuntiatur. Quia *v* aequaliter ac *β* proferebatur, eandem ob causam in *f*, nam littera *β* aspirata i. e. *ΠΗ*, *φ* est, transiit. Idem (p. 35, 46) pergit: „unde antiqui *af* pro *ab* scribere solebant; sed quia non potest 'vau' id est digamma,

---

[1]) Diod. Sicul. ed. Dindorf. 12, 72.

in fine syllabae inveniri, ideo mutata est in *b*." Confer *aufero* et *abfero*. De molli et grata pronuntiatione litterarum *υ* et *φ* confer supra laudatum locum Quintiliani (XII. 10, 27). Pro *υ* aequali cum *ι* Boeoti aliique Graeci velut Lacones *ου* similiter ac Latini *u* pro *υ* dicebant, ut *silva silua, lacrima lacruma, οὔδωρ ὕδωρ, myrtus mirtus murtus*. Latini porro consonantem *υ* in *u* mutabant consonantibus sequentibus pronuntiare non valentes[1]); Latini tantummodo apte Graecum *Υ* tractaverunt, qui et ipsi duplici et *v* et *u* uterentur; nam littera *u* nihil aliud quam singularis sonus *Υ*, qui tamen ab *I* dispar omnino non est, ut vocabula *maxumus, optumus, lubet, maximus, optimus, libet* docent. Quibus argumentis duplicem esse naturam illius *υ*, et vocalis *υ* vel *u* quasi *ι* et consonans *β*, certis condicionibus *φ*, quae non posteriore demum aetate orta sunt sed antiquissima, cum digamma priscam vetustatem attingat, satis lucet.

Quodsi Latini consonantem *V* evitabant, hac ejecta, ut *amarim, nolo* pro *amaverim, nevolo*, aut vocali *u* substituta, ut *solvo soluo, revorsus rursus, providens prudens*, contra morem antiquum est. Graecos vero, qui molles suaves que litteras diligebant et suo ipso ingenio linguam excolebant, litteram *υ* natura vocali semper

---

[1]) Graeci e. c. *αὔταρ aphtar* rectissime pronuntiant sed Latini qui aspiratis litteris carent, vocalem *u* pro *υ* substituunt, nam alioquin *avtar* nullo modo proferre potuerint, Latini *autem* dicere necesse est, natura ipsa linguae, sed Graeci antiquam pronuntiationem servaverunt, cum et digamma et spiritum asperum non omiserint (vide infr. § XVIII).

omnibus locis fere similiter ac Latinos vocalem *u* pronuntiasse, necesse non est. Sonus denique vocalis *Y* est asperi *I* acri sibilo oreque praeacuto prolatus. Confer. Dionys. Halicarn. d. comp. verb. XIV. p. 77: *Περὶ γὰρ αὐτὰ τὰ χείλη συστολῆς γενομένης ἀξιολόγου πνίγεται καὶ στενὸς ἐκπίπτει ὁ ἦχος.* Non *u* igitur sed potius *ü* rectius *hy* est, medius quidam sonus inter *u* et *ι*. Quintilianus (I. 4, 8): „ut in his *seruus* et *uulgus* Aeolicum digammon (*F* i. e. et consonans et vocalis *v*) desideratur, ut medius est quidam *U* et *I* litterae sonus.“ Quia philologi sine ulla causa duplicem naturam et vocalem et consonantem recentiorem esse opinantur[1]) et sunt qui barbaram vel Slavicam, nimia quadam ignorantia, esse putant, aliam etiam sententiam et optimam Prisciani (I. p. 7) affero: „Littera *u*,“ ait, „sequente *d* vel *m* vel *r* vel *t* vel *x*, sonum *y* Graecae videtur habere, ut *video*, *vim*, *virtus*, *vitium*, *vix*.“ Est igitur *υ* Graecum nihil quam littera *I*. Porro: „*U* autem quamvis contractum eumden tamen sonum (h. e. *y*) habet, inter *g* et *e* vel *ι* vel *ae* diphthongum positum, ut *quae, quis, quae*.“ Est autem *u*, Graecum *y*, id est *V* aequum ut iu *qvae, qvis, qvae*. Tum pergit „nec non inter *g* et easdem vocales, cum in una syllaba sic invenitur, ut *pingue* (*pingve*), *sangvis*, *lingvae*.“ Rectam ergo nos pronuntiationem servavimus, et quo magis a Latina discrepat, eo magis ad Graecam genuinam appropinquat, nam *Y* eodem modo ut *u* Latinorum prolatum non erat, si Quintilianum sequimur, qui littera *v* jucundissima Latinos carere et illo *u* dulciorem esse docet.

---

[1]) Corssen p. 232.

§ XIII. De littera *H*.

Jam de pronuntiatione vocalium longarum *H* et *Ω* disputabimus, ac de littera *H* quidem, nam de locutione litterae *Ω* ut longae *O* nemo est qui dubitaverit.

Supra litteram *H* loco spiritus asperi substitutam esse, et pronuntiationem haud disparem longae *I*, aspero omnibus linguis communi cum antiquioribus comparato, fuisse monuimus. Theodosius (ed. Götz p. 3, 28) Simonidem, qui inventor litterae *H* esse dicitur, hoc modo eam formasse tradit, *συζεύξας γὰρ δύο ΙΙ διὰ μακρᾶς κεραίας ἐσχημάτισε τὸ Η*[1]). Illud *H* igitur et forma et pronuntiatione geminatum *I* aequat, quae quidem definitio cum nostra pronuntiatione convenit[2]), quam, quia cum Graeculis convenit, viri docti despiciunt; ac sunt qui recentiorem scilicet hanc ob causam putant, cum indocti esse nolint. Euripides fabula Thesei *H* eodem modo explicat (Athenaeus X p. 454). *Βοτὴρ δ' ἐστὶν ἀγράμματος αὐτόθι δηλῶν τοὔνομα τοῦ Θησέως ἐπιγεγραμμένον οὕτως,*

Τὸ δεύτερον δὲ (Η) πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο (ΙΙ)
ταύτας διείργει δ' ἐν μέσαις ἄλλη μία (Η).

(Id. p. 454*d*) *τὸ δ' αὐτὸ πεποίηκε καὶ Ἀγάθων ὁ τραγῳδοποιὸς ἐν τῷ Τηλέφῳ,*

ὀρθοί τε κανόνες ἐζυγωμένοι δύο (Η).

(Id. p. 454*f*) pariter et *Θεοδέκτης ὁ Φασηλίτης*. Quae definitio antiqua est, sed nova illa Mureti (Var. lect. XVIII, 1), qui *H* ex geminato *E* altero inverso *Ǝ* gigni

[1]) Vid. Giese, Aeolisch. Dial. p. 221.
[2]) Vid. Bloch, Revision der Alt-gr. Ausspr. p. 171.

docet. Forsitan hae antiquae descriptiones litteram *H* aequalem atque *II* significasse voluerint, nisi forte formam solam depingant. Si littera *H* tali quadam ratione orta est, eam ex *EI*, quae pari cum *H* forma et pronuntiatione est, quasque Graeci, praecipue Attici, velut idem significantes confundunt, ut ἱππεῖς et ἱππῆς, μεὶς et μὴν etc., natam esse cum habeamus, minime in errorem inciderimus. Littera *E* apud Iones saepe *EI* est, cujus vice *H* fungitur. In antiquis plebiscitis Atheniensium *E* pro *EI* et *H* et in antiquis manuscriptis carminum Homericorum positam esse constat (Giese, Aeolisch. Dialect. § 14). Deinde nonnulla vocabula tum littera *H* tum diphthongo *EI* scripta inveniuntur, ut ἀκληεῖς et ἀκλειεῖς, ζαχρειῶν et ζαχρηῶν, τεθνειῶτες et τεθνηῶτες[1]). Pariter auctore Plutarcho supra portam templi Apollinis Delphis littera *E* pro *EI* scripta erat. Vide Galen. Comment. in Hippocr. II, 41, et Mullach, Gr. Gramm. vulgar. p. 124 et Minoiedes Mynas, Calliope p. 139. Galeni verba simplicissima haec sunt: *Γραφόντων γὰρ τῶν παλαιῶν τὴν τοῦ ε δίφθογγον καὶ τὴν τοῦ η*[2]) *δι' ἑνὸς χαρακτῆρος* (id est *E* pro *EI* et *H*), *ὅς νῦν μόνον σημαίνει τὸν ἕτερον φθόγγον τοῦ ε.* Quid? Sonus litterae *ε* est *e*, quis alter sonus litterae *ε* est? ni-

[1]) Giese, Aeol. Dialect. p. 166; Thiersch, Gr. Gramm. § 167, 2 et § 193, 38; Buttmann, Gr. Gramm. II. § 110, Anm. 13*.

[2]) Galenus ait, diphthongum litterae *ε* i. e. *ει* et τὴν τοῦ *η* i. e. diphthongum *η*, aliud non esse quam *ει*, vides ergo, ut *ει* et *η* aequales habeat ratione tantum scribendi discrepantes. Sic e. c. Hesychius v. Ἡρήκασι et Suidas v. Ἤματα ceterique grammatici, διὰ τῆς ει addentes, *η* et *ει*, quae confunduntur, distinguunt.

mirum longum *ι* i. e. *ει* et *η*; quod si cui falsum esse videatur, parum refert, nam constat Galenum duos sonos *ε* et *ι*, rectius longum *ι*, distinguere, qui dicit, quia Graeci antiqui figuram *E* tum pro *E* tum pro *EI* et *H* scripserint, recentiores sejungere semper non potuisse. Itaque quum *ε* et *ει* una cum *η* differant, *η* et *ει* eaedem atque *ε* esse, non possunt. Quaeritur, quis alter sonus litterae *ε* sit? Fortasse longum *ε*, quod Germani *H* putant, sed *ε* longum, ut sit aliud quam breve *ε*, fieri nequit. Mullach *δίφθογγον*, zwiefachen Laut, sic Mynoides „les deux sons“ perperam interpretatur. Galenus duplicem pronuntiationem litterae *ε* docet, ut *ε* et ut *ι* (*η*, *ει*), et pergit *πολλὰ γέγονεν ἁμαρτήματα τῶν ἐγγραφομένων, οὐ κατὰ τὴν γνώμην τῶν γραψάντων τὴν μετάθεσιν τῶν γραμμάτων ποιησαμένων. Διὸ προσέχειν ἀκριβῶς χρὴ τοιαύταις γραφαῖς, ἐν αἷς δυνατόν ἐστι τὸν τῦ η φθόγγον* (*H*, id est, longum *I* et diphthongus *EI*) *εἰς τὸν τοῦ ε* (*E* solum) *μετατιθέντας ἢ τοὔμπαλιν γράψαντας, ἐπανορθώσασθαι τὴν γραφήν.* Rectissime simplicem sententiam Georgiades his verbis declarat. „*Ἀλλ' ἐνταῦθα ὁ Γαληνὸς γράφειν φησὶ τοὺς παλαιὸς τὸν τοῦ η, καὶ ε φθόγγον δι' ἑνὸς χαρακτῆρος τοῦ ε, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἀμφότερα, ἐκφωνεῖν· ἃ δὴ ἀλλήλων τὴν προφορὰν διαφέρειν τὸ, τὸν τοῦ η φθόγγον εἰς τὸν τοῦ ε μεταθέντας, τρανῶς ἀποδείκνυσιν.*“ (*Περ. τῆς τ. Ἑλληνικ. στοιχείων ἐκφωνησ. σελ.* 90). Itaque cum *H* et *EI* nihilo differant, litteram *H* simplicem formam diphthongi *EI* fuisse videmus. *H* ergo ex litteris *E* et *I* profecta est, quae litterae tam affines et similes sunt, ut persaepe commutentur, atque *ει* Latini tum longa *E* tum

longa *I* reddunt. Deinde *H* vel *EI* breviatae *E* vel *I* sunt, sicut productae *H* et *EI*, ut *ἠδὲ ἰδὲ*, *εἶδον ἴδον*, *πόλεως*, *πόληως*, *πόλιος*; *ἥκειν*, *ἵκειν*; *ἔρχομαι*, *ἠρχόμην*; *ἔχω*, *εἶχον* etc. Apud Graecos *ε* et *ι* producta *H* sunt, quod *H* ut longum *ι* pronuntiatur. Apud Latinos *e* et *i* producta longum *e* et *i* sunt, quod *i* saepissime in longum *e* transiit, contrario modo Graecis. Nam longum *I* potissimum linguae molli dulcique ut *E* linguae gravi duraeque convenit. Quod, cum Latini litteram *H* littera *e* reddant, facile Graecos *H* ut *e* pronuntiasse homines Graecae indolis ignari existimant, mirum quidem non est, quia etiam periti vel summa doctrina praediti in tanto errore haerent. Perinde falluntur, ac si litteram *H* aeque atque *A* pronuntient, quod Dores *H* littera *A* reddunt. Suam quisque linguam pro suo ingenio, sua voce, et usu et ratione temperat. Littera *H* Graecorum propria recentior est, qua nec Latini nec Graeci antiqui usi sunt. Littera *A* principalis est, ex qua *E* et ex *E* orta *H* est. Sonus *I* Graecorum proprius est, ut supra de dialectis disserentes monuimus. Deinde Dores Aeolesque, qui antiquissimam linguam potissimum servaverunt, littera *A*, quae nota antiquitatis est, jure utuntur. Pariter Latini littera *E*, quae illorum propria est, itemque Graeci littera *H* eorum propria, quae neque *A* neque *E* sed *I* est. Antiquus usus Latinorum longam *E* pro *H* et Graecorum *H* pro longa *e* substituendi consuetudo vulgaris fit, nam posteriores quoque Latini et Graeci, quos *H* aeque ac longa *I* pronuntiasse scimus, pro *H* longam *E*, pro longa *E* *H* scribebant, quam consuetudinem nos quoque sequimur,

cum verba occidentalium linguarum in nostram transferimus.

Longum *A* linguae priscae et horridae proprium est. Cum lingua molliretur et mitigaretur illud *A* in *E* transiit, unde gravitatem Romanam cognoscas, quia *E* nec durum *A* nec molle *I* sed medium est. Lingua tenera et flexibili et mobili et dulci facta, illud *E* in *I* transiit, unde levitatem et dulcedinem Graecam, quam Quintilianus admiratur, intelligas. Nolite ergo, viri docti, quaeso, antiqua tempora et mores ingenio nostrae aetatis examinare. Antiquae aetatis forma propria est, qua indolem quamque et naturam exprimebat. Omnis dialectus certa quaedam forma est ingenii peculiaris populi. Sic diversis generibus poesis et cujuslibet artis certae formae sunt. Dialectus Ionica, quae effeminata dicitur, quemadmodum a virili et austera Dorica differt? Nimirum forma; illa quidem littera *H*, haec littera *A*. Quam *H* si aeque atque *E* pronunties, feminea non est, nam mulieres Grajae Amazones non erant, siquidem Aristides Quintilianus musicus[1]), cui ingenium antiquum erat, litterae *H* *θηλύτητα* assignat. Littera *E* feminea neutiquam est, sed gravis, qua Latini indolem suam aptissime significaverunt. Si linguam Latinam cum diligentia explores, litteram *I* persaepe in *e* mutatam invenies. Forma igitur antiquo tempore observatur. Quodsi Latini multifariam Graecum sonum *I* recepissent, ipsorum lingua nec Graeca nec Latina esset, nam linguae suum cuique proprium est, et quod linguam Graecam dulcem et pul-

[1]) ed. Meibom. l. II p. 92; vid. infr. p. 91 sq.

chram reddit, idem Latinam penitus violat. Falsissimum igitur est, aequalem pronuntiationem litterarum *A* et *E*, *E* et *H*, *A* et *H*, *E* et *A* habere, nam litterae *A*, *E*, *H* diversae sunt et soni diversi, illae quidem mutationes sunt primitivae litterae *A*. Ita unum vel alterum sermonem unam vel alteram litteram tueri et in hanc ceteras convertere videmus. Quamobrem Dores antiquissimi *A*, unde eos Hermannus aliique primitivum populum Graecum habent, servant aliasque vocales, ut monuimus, in *A* convertunt. Apud Latinos *E* remansit, ut Dores *A* permultis vocalibus substituunt, apud Graecos autem illud *H*, cujus sonus *I* dominans ceteras vocales absorbet, ut supra de dialectis diximus.

Affinitatem litterarum *A*, *E*, *H* similitudine quadam illustrabo. Litterae *A*, *E*, *H* similes tribus nummis aequi valoris diversa aetate trium nationum propriae sunt. Primum *A* nummum aeneum antiquissimae aetatis, alterum *E* argenteum mediae, tum *H* aureum posterioris esse dicamus. Dores nummis aeneis, i. e. *A* Latini argenteis, i. e. *E*, Graeci aureis i. e. *H* utebantur. Aes Doricum Latini argento, Graeci auro mutabant. Sic Dores aere argentum Latinum et aurum Graecum, sed Graeci utrumque illud auro commutabant. Qui tam stultus fuerit, ut aes et argentum et aurum, cum nummi aequi valoris sint, omni modo aequos paresque haberet? Quae metalla, nummi, formae aequalia, minime tamen et vi et natura, nam nisi diversa essent, haec nominibus diversis appellari necesse non esset. Sic litteras *A*, *E*, *H* Dores, Latini, Graeci, quasi nummos aequi valoris diversos natura et voce invicem commutabant. Ut aurum nec argentum nec aes, ita *H* nec *E* nec *A* est. Sunt quidem litterae a tribus

gentibus adhibitae, aequi quidem valoris diversa autem pronuntiatione. *H* igitur locum litterae *E*, ut *E* locum illius *Α* occupavit. Qui vero aetate praestantissima linguae Graecae *ἦτα* ut *ε* vel *α* pronuntiat, ut verba Sexti Empirici (ed. Bekker. 640, 27) utar, *μανίας ἐγγύς ἐστιν*.

Apud Athenienses littera *η* tempore Euclidis (Ol. 94, 2) introducta esse dicitur, cujus vice, ut diximus, littera *ε* testibus inscriptionibus fungitur. Boeckh (Antigone p. 286), qui summa prudentia monumenta inscripta perlustravit, haec ait: „*πνειόντων* ist die einfache Aussprache, dies ist keine wahre Aenderung, da Sophokles doch *ει* blofs mit *ε* geschrieben haben wird, denn auch die Attiker schreiben *ει* mit *ε* nach Euclides noch in solchen Worten, wo *ει* und *ε* verwechselt werden, wie *χερὸς χειρὸς*. Dies beweisen die Inschriften.“ Athenienses in scriptis domesticis litteram *ε* pro *η* et *ει* usos esse vehementer dubito, nam litteram *η* jam pridem aetate Euclidis notam fuisse scimus. Athenaeus (p. 454) Calliam[1]) poëtam antiquissimae comoediae *γραμματικὴν τραγῳδίαν* scripsisse tradit, cujus loci quidam adhibiti, *ἦτα* notum fuisse, docent. Idem ab Euripide et Agathone *ἦτα* descriptum affert. In scriptis publicis certissimum est et conveniens rebus publicis antiquas formas quam diutissime perseverare. Ita consonantes compositae, ut *χ*, *ψ* ceteraeque diu disjuncte *ΧΣ*, *ΦΣ* etc. scribebantur, quamquam Athenienses privatim illas et noverant et adhibebant. Mirum etiam est, quod Athenienses, quippe qui artibus florerent, ab Ionibus

[1]) Boeckhius in scholis litterarum Graecarum, eum aequalem Sophocli vel etiam posteriorem, cum litteras Ionicas adhibuisset, esse disseruit.

multas litteras sero acceperunt. Ergo littera ε pro ει et η substituta est.

Latini non solum η sed ει quoque littera *e* reddunt, unde indoles Latinorum iterum apparet, nam ει antiquiore tempore sicut longam ι pronuntiatam esse, sexcentis exemplis confirmatur, et vir clarissimus Lachmannus una cum doctissimo Mauritio Haupt, Graecam diphthongum ει Latinos, cum certis vocabulis integram conservarent, semper optima aetate suae linguae, longa ι, sicut *Aeolis* non *Aeoles,* scripsisse docent. Quintilianus (lib. I. 7, 15): „Diutius, ait, duravit, ut *ei* jungendis eadem ratione qua Graeci ει uterentur; ea casibus numerisque discreta est, ut Lucilius praecipit: 'Jam puerEI venere, *E* postremum facito atque *I*, ut puerI plures fiant;' ac deinceps idem: 'MendacI furIque addes *E*, cum dare furEI jusseris.' Quod quidem cum supervacuum est, quia *I* tam longae quam brevis naturam habet, tum incommodum aliquando." Sine ulla ergo ambiguitate *EI* aequum ac longam *I* esse et *E* abjectam a Latinis simplices formas amantibus, cum supervacuum sit, docet. Priscianus (ed. Keil I. p. 24, 32): „In vocalibus quoque," ait, „sunt affines *e* correpta sive producta cum *ei* diphthongo, qua veteres Latini utebantur, ubique loco *i* longae: nunc autem contra pro ea *i* longam ponimus vel *e* productam." Sonum *I* igitur antiquum proprio ingenio Latinorum in *e* transire et diphthongum *ei* aequam ac longam *I* esse accipimus. Sic nonnulli Romanorum antiquioribus studentes ipsum ι per *e*, ut fere *Menerva* pro *Minerva,* reddebant, quos Cicero elegantissimus orator reprehendit (de Orat. III,

12): „Quare Cotta noster, cujus tu illa lata, Sulpici, imitaris nonnunquam, ut jota litteram tollas et *ε* plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos sed messores videtur imitari.“ Deinde cum Latini longam *I*, quod *ει* est, et fere semper *H*, qua postea Graeci utuntur, *e* producta redderent, homines philologi, ipsam litteram *H* quasi longa *e* pronuntiatam esse, vehementer decepti putaverunt. Quodsi locutionem vocalis *H*, Atticis plebiscitis littera *E* pro *H* inscriptis, aequalem atque *E* argumentaris, sine conjecturis nihil effeceris. Quas opiniones, quatenus rebus et factis convenerunt, rectas et veras esse concedimus, nam semper factum plus opinione valet. Athenienses ergo *E* pro *H* et *EI* scribebant. Itaque *H* placitis philologorum aequa atque *E* vel potius *E* longa fuerit; nam si brevi *E* nihil differat, quam ob causam litteram *H* pro eadem *E* Athenienses induxerint, nullo modo explicatur. Litteram *E* autem pro *EI* quoque, quae aequalis longae *I*, substitutam esse videmus. Praeterea alium etiam locum Prisciani afferam, quo pronuntiatio *I* magis eluceat (p. 37, 1). „*I* quoque,“ ait, „apud antiquos post *E* ponebatur et *EI* diphthongum faciebant, quam pro omni *I* longa scribebant more antiquo Graecorum.“ Ergo more antiquo Graecorum diphthongum *EI* scribebant pro longa *I*; diphthongus *EI* igitur aeque atque *I* a Graecis pronuntiabatur. Deinde littera *E* non iterum in *E* vel brevem vel longam, sed in *I* transiit, quod per se sine magna quadam doctrina intellegitur. Sed cum homines litteras Graecas docti censeant, *H*, quam Latini littera *e* reddebant, aeque atque *E* prolatam esse, argumentationibus perversis opi-

nionem suam sustentare student. Nimirum diphthongum *EI* dissolute pronuntiatam esse docent, eo modo ut tum *E* tum *I* audiretur, et Latinos quasi homines rusticos tum *E* tum *I* audientes, in aliis vocabulis Graecis litteram *E*, aliis *I* substituisse, sed pro littera *H*, cujus sonus simplex est, ubicumque litteram *E*. Qui modus diphthongum *ει* pronuntiandi nec Graecus nec Latinus est, nam nemo antiquorum hominum unquam sic locutus est. Nihil scilicet interest. Quam pronuntiationem, cum antiquissima sit, ne grammaticorum quidem quisquam, cum eam ignoret, commemorare potuerit, quo tempore diphthongus *ει* ita pronuntiata sit. An forte aetate aurea, qua ipsi dei cum hominibus loquebantur, cum monumenta antiquitatis de tali pronuntiatione nihil afferant? Tantum abest, ut haec pronuntiatio soluta diphthongi *ει* antiqua sit, ut novissima sit èt Germanica quidem (vide Bloch p. 303). Cur Graeci litteras *H* et *EI* invicem confunderent et utramque littera *E* scriberent, si diversae essent? Quomodo factum est, ut feminina verborum in *ηρ* in *ειρα*, ut *σωτὴρ σωτεῖρα*, exirent? Cur priorem terminationem *er* posteriorem *eïra* pronuntiemus? Quo diphthongus *ει* contracta ab *εϊ* divisa, ut *τείχει* et *τείχεϊ*, differt? Quare vocales *εε* cum in *η* tum in *ει* ut *τριήρεε τριήρη* et *τριήρεες τριήρεις* contrahebantur? Quid inter *ἱππεῖς* et *ἱππῆς*, *ζαχρειὴς* et *ζαχρηὴς* ceteraque interest? Quorum paucorum ex magna copia exemplorum in mentionem incidi, nam hominibus peritis persuadere satis habeo. Si igitur sententias laudatas et Quintiliani et Prisciani sequimur, litteram *E* Latinorum recentiorum propriam et *ει* aeque atque

I pronuntiatam antiquo modo Graecorum esse discimus. Graeci antiqui, ut pro littera *O* tum *o* tum *ου* dicebant, ita pro *E* tum *ε* tum *ει* sive *H* id est longam *I*. Nam ut littera *ο* non in longam *ο* vel *ω* sed in *ου* (*u*), ita *ε* non in longam *ε* sed in *η* (*i*) transiit. Quodsi Latinos tam ineptos imitatores, ut sonum Graecum immutatum semper acceperint, putas, quidni *η* aeque atque *e* productam, et *ει* aeque atque *i* pronuntiatas conjicies? Tum profecto soluta pronuntiatio *ει* tollenda est. Ceterum cum *η* aequalis illi *ει*, et *ει* aequalis longae *ι* sit, etiam *η* aequalem esse atque *ι* productam necesse est. Quantumlibet res detorquetur, pronuntiatio *η* aequalis longae *ι* evitanda non est, omnesque conjecturae, eo quod *η* aequa atque *ει* atque *ι* longa est, ut falsae repudiandae sunt.

Buttmannus, ut supra de spiritu (p. 54) monuimus, *η* litteram *ε* aequasse dixit, quod *ε* tenuis (*ψιλὸν*) appellatur, ut ab *η*, id est *ε* aspera (*δασὺ*) distinguatur. Si vero in antiquis scriptoribus *ε ψιλὸν* dicebatur, tamen, cum *ε* pro *η* et *ει* substitueretur, nullo modo litteras *η* et *ει* aeque ac litteram *ε* pronuntiatas esse, illud *ε ψιλὸν* ostenderet, ut supra jam docuimus; porro ipsum *ε*, quamvis sonum *ε* ederet, *εἶ* tamen appellabatur. Quod cum *ε* a grammaticis *ψιλὸν* dicatur, alia est causa. Etym. Magn. p. 326: *Ἔλαιον — τὸ λαι δίφθογγον — ἐπὶ δὲ τοῦ ἐλέους διὰ τοῦ ε ψιλόν*. Ergo *ψιλὸν* non ad *η δασὺ* sed ad *αι* diphthongum respondet. Item Etym. Magn. 733, 35 *διὰ διφθόγγου γράφεται — διὰ τοῦ ε γράφεται*, ubi diphthongus litterae *ε* opposita *αι* esse per se intelligitur[1]). Oekonomus (p. 268) recte illud *ε* gram-

[1]) Vide Mullach, Gr. Gramm. vulgar. p. 110.

maticos *ψιλὸν* nominasse dicit, quia prius *ε* pro *ει* scriberetur, id est *ε* nudatum (*ψιλὸν*) ab *ι*, quod in *ει* est, nam si illud *ψιλὸν* pro brevi esset, *ε μικρὸν* grammatici appellassent; confer. etiam Minoide Mynas (Calliope p. 33).

Aristides Quintilianus musicus elegantissime indolem vocalium designans, litteram *η* aequalem litterae productae *ι* esse, nisi vero verba ejus foede depravabimus, indicat. Vocales ut diversa genera musicae et partes animae, in masculas et femineas dividit (de music. ed. Meibom. lib. II. p. 92). Longarum vocalium *η* et *ω* dicit, *ἄρρην μὲν ὁ τοῦ ω φθόγγος — θῆλυς δὲ ὁ τοῦ η, διαχεῖται γάρ πως ἐν αὐτῷ τὸ πνεῦμα καὶ διηθεῖται.* Littera *η* vero feminea est et vocabula *διαχεῖται* et *διηθεῖται* aptissime sonum subtilem productae *ι* depingunt. *Ἐν μὲν τοῖς βραχέσιν (ο, ε) ο τὸν ἄρρενα δηλοῖ — τεθήλυται δὲ τὸ ε κεχηνέναι πως ἀναγκάζον κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν.* Littera *ε* feminea propter hiantem locutionem reddita est, qua littera *η* prorsus caret. Ore aperto non effertur, alioquin mascula esset, et verba *διηθεῖσθαι* et *διαχεῖσθαι* nullo modo essent commoda. *Οἱ μὲν διὰ τοῦ η γινόμενοι φθόγγοι ὑγροί τε καὶ ἄλλως παθητικοὶ καὶ τεθηλυμένοι, οἱ διὰ τοῦ ε δραστήριοι καὶ ἠρρενωμένοι.* Quodsi illud *η* productum *ε* aequat, neutiquam simplex *ε*, *δραστήριον* et *ἠρρενωμένον*, et *η* longum *ε*, *ὑγρὸν καὶ τεθηλυμένον* appellaretur. Sin *η* longum *ι* est, aptissime liquidum et effeminatum et vehemens dicitur. Quintilianus (lib. III. p. 147) sollerter *ε* cum natura lunae *ἀρρενοθήλει* comparat, nam littera *ε*, si breviter pro-

nunties, feminea, si longe, mascula apparet. Cum brevis sit magis ad *i*, cum longa, ad *ae* respondet. Deinde litteram *η* longam *ι*, et *ε* *ἀρρενόθηλυ* esse videmus. *E* media igitur inter *α* et *ι* vel *η* est, nam *α* gravem Dorum propriam et *η* mollem Ionum indoli aptam esse docet (lib. II. p. 92). Sic *α* mascula et *ι* feminea, magis etiam quam *η*, nam brevis tenuisque est. ***Τῶν δὲ διχρόνων*** (*α, ι, υ*) ***εἰς μελῳδίαν κράτιστον τὸ α — τὰ δὲ λοιπὰ*** (*ι, υ*) ***διὰ λεπτότητα οὐκ οὕτως ἔχει. ἔστι δέ τινα ἰδεῖν μεσότητα, τὸ μὲν γὰρ α κοινωνίαν ἔχει καὶ ἀντιπάθειαν πρὸς τὸ η*** (*ι, υ*), ***εἰ μὲν*** (i. e. *η*) ***εἰς ἀντίστροφον χρείαν ἐκείνων παραλαμβάνεται, πέφυκεν ἄρρεν*** (*η = α*), *εἰ δὲ τὴν ὁμοίαν ποιεῖται σημασίαν, τεθήλυται* (*η = ι = υ*). Ergo littera *η* feminea ad breves *ι* et *υ* respondet, i. e. *τῶν λοιπῶν διχρόνων ι, υ, εἰ τὴν ὁμοίαν ποιεῖται σημασίαν*, atque mascula si ad *α* more Dorico transfertur, i. e. *εἰ εἰς ἀντίστροφον χρείαν ἐκείνων* (h. e. *τῶν λοιπῶν διχρόνων ι, υ*) *παραλαμβάνεται* h. e. *α*, sed cum littera *ε* nihil ei commune est. Ex his elegantissimis verbis et natura et pronuntiatio litterae *η* aequalis productae *ι*, quam pluribus interpretationibus non opus est ostendere, apparet.

Ipsa lingua exempla plurima praebet ejusque dialecti, in quibus similes et affines litterae saepissime confunduntur. Ex *ε* et *ι* litterae *ει* et *η*, quae a longa *ι* pronuntiatione non differunt, natae sunt, e. c. *ξένος, ξεῖνος; Ἄρεα, Ἄρηα; ἀετὸς, ἀητὸς; ἀκλεὴς, ἀκλήης* et *ἀκλειής*. Dores *η* pro *ει* *ἄπηρος, σαμῆον, τῆνος* pro *ἄπειρος, σημεῖον, κεῖνος*. Etym. Mag. V. *Χεὶρ: τὸ χεὶρ διφθόγγῳ γράφεται ἐπειδὴ οἱ Δωριεῖς χὴρ λέγουσι διὰ*

τοῦ ἦτα. Pariter et Aeoles, Priscianus (I. p. 50) „illi," ait, „enim *Δημοσθένῃ* pro *Δημοσθένει* et *ἦπον* pro *εἶπον*." Pariter infinitivos in *ην* pro *ειν* terminant, sic *ης* pro *εις*. Choeroboscus Bekker 1282, *οἱ Δωριεῖς καὶ οἱ Αἰολεῖς τρέπουσι τὴν ει, δίφθογγον εἰς η, οἷον λέγης* etc. Sic Athenienses *η* pro *ει*, *ἱππῆς* pro *ἱππεῖς*. Contra *ει* pro *η* Corina, Fragm. (Ahrens) (6) *θουγάτειρ* pro *θυγάτηρ*, (Fr. 7) *πεντείκοντα* pro *πεντήκοντα*. (Choerobosc. Bekk. 1366): *οἱ Βοιωτοὶ τότε τρέπουσι τὸ η εἰς τὴν ει δίφθογγον, ἡνίκα μὴ τρέπηται τὸ η εἰς α παρὰ τοῖς Δωριεῦσιν, οἷον λέβης καὶ πένης οἱ Βοιωτοὶ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφουσι λέβεις καὶ πένεις λέγοντες.* (Ahrens Aeol. Dial. § 39). Paucissima exempla commemoravi nam res notae[1]) sunt. *H* et *ει* omnibus partibus aequae paresque sunt. Confer praeterea vocabula quaedam, ut *εἴλιγμαι* et *ἐλήλιγμαι*, et ex *ἔαρ, εἶαρ, ἦαρ, ἶαρ;* et *Ηρις, Εἶρις*[2]), *Ἶρις* (Hesych.). Ita *ἀείδω, ἀΐδω, ἀηδών.*

Pronuntiatio litterae *η* aequalis cum *ι* paucis exemplis illustrabo. Etym. Magn. *πῖδαξ παρὰ τὸ πηδᾶν κατὰ μετάθεσιν τοῦ η εἰς ι Βοιωτικὸν ὥσπερ ἥκω, ἵκω.* Aeoles *ι* pro *η*. Choeroboscus Bekker Anecdot. Graec. 1193, *πόληος· κατ' Αἰολικὴν τροπὴν τοῦ ι εἰς τὸ η ὡς ἐπὶ τοῦ ψιμμύθιον, ψημύθιον καὶ ἀκτῖνες, ἀκτῆνες.* Scholl. Il. *φ*, 516, *πόληος Αἰολικῶς ὡς ἀκτῖνες καὶ ψιμύθιον.* (Fischer Veller. G. Gram. p. 90) *κοίμησον* pro *κοίμισον*, (Eustath. ad Il. *Ξ* p. 981) *οἰκήα* pro *οἰκία*. Titul. Delph. 1690. Ahrens (de dialect. Doric. § 22, 2), „sexies," ait, „legitur pro *οἰκία*, quum hoc semel traditum sit v. 20. Nihilo

[1]) Fischer, Animadvers. Veller. Gramm. I. p. 119.

[2]) Vid. infr. § XV. Boeckh, Seeurkund. p. 317.

secius inauditam illam formam in titulo pessime habito corruptam esse judicamus." Profecto forma η pro ι audita non est, sed si η et ι Graeco more pronuntiaveris, cum ad ι accentus quoque appositus sit, voces distinguere non poteris. Propter permutationem litterarum η et ι similiter sonantium, Grammatici regulas commemoratas confinxerunt, quibus Aeoles nunquam usi sunt, ut ἀκτῆνες pro ἀκτῖνες, nam nisi aequa locutione litterarum η et ι nulla est causa, ut η pro ι scriberent. Ita pro simili pronuntiatione et η et ι commutantur, et ι in η producitur, et litterae ι et υ pro η ponuntur. Id quod exemplis illustrabo, ἥκω et ἵκω (Boeckh Pind. Metr. III p. 289) ἐπήβολος et ἐπίβολος[1]), μέρμηρα, μέριμνα; θήγω, θιγγάνω; ἐπηετα-

[1]) Boeckh (In Platonis Minoem Comment. p. 147 sqq.), alia docet, quae dubia mihi videntur, nimirum ἐπήβολος ut ἐλαφηβόλος non esse ἀπὸ τοῦ βάλλειν, unde fieret ἐλαφόβολος (vide diphthongum οι), sed ἀπὸ τοῦ ἐβάλλειν, ut ἐπηρεφὴς ἀπὸ τοῦ ἐρέφειν, ἐπήρατος ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν etc. Quae exempla diversae originis esse apparet, nimirum ἐπήβολος est derivatum ab ἐπὶ βούλεσθαι vel ἐπὶ ἐβούλεσθαι, sed ἐλαφηβόλος ab ἐλαφόβολος i. e. βάλλειν tum ι adjecto ἐλαφοίβολος, unde, η pro οι, ἐλαφήβολος, fortasse etiam ἐπήβολος sicut ἐπηετανὸς pro ἐπιετανὸς, ortum est; nam breves praepositionum vocales producuntur littera ι adjecta, ut κατὰ καταὶ etc. inde ἐπὶ fit ἐπὴ, nam η et ε et ι productum est. Qua in re cum Stephano potius consentio, qui (Thes. ling. Graec.) ἐπήβολος olim fuisse ἐπίβολος ἀπὸ τοῦ ἐπιβάλλειν, sed posthac ob legem carminis mutatum esse ab Homero, conjecit; huc pertinet, ἠδὲ et ἰδὲ, ὑψήλοφος et ὑψίλοφος etc. Tum vero ex ἐπήβολος simili ratione κατηβολὴ, συνηβολίη, vel ex ἐβουλόμην, ἠβουλόμην, ut ἤμελλον et ἔμελλον, nam saepissime inprimis a poetis duplex augmentum adhibetur, quod ε vel etiam η in verbis et vocabulis posthac quasi principale remansit.

νὸς pro *ἐπιεταvὺς*, *τανηλεγέως* pro *τανυλεγέως* (Thiersch, G. Gram. § 166, 4); *ἐϋηγενὴς*, *η* inserta est aequa pronuntiatione cum *υ*, pro *ἐϋγενὴς*, ut *πολιήτης* pro *πολίτης*; *ὑψήλοφος* et *ὑψίλοφος*, *φιλητὴς* et *φηλητὴς* ex verbo *φιλῶ* vel *φηλῶ*, unde Latinum *pilo*, et Francogallicum *filou*, *ἠδὲ* et *ἰδὲ*, *ζευγήσιον* et *ζευγίσιον*, *ἁμαξητὸς* et *ἁμαξιτὸς*, *Τερμησσὸς* et *Τερμισσὸς*, *κεῖπος* pro *κῆπος* (Strab. XV), *τηθηνὸς* pro *τιθηνὸς* (Hesych.), pariter *αὐλησμὸς* et *αὐλισμὸς*, *σκήπων* et *σκίπων*; *σκήπτω*, *σκίπτω*; *φοινήεις*, *φοίνιος*; *κλέπτης*, *κλεπτίστατος*; *Καρήνη* (Steph. Byzant.), *Καρίνη* (Herod. VII, 42); *Σίγιον* pro *Σήτιον* (Strab. IV, 1, 181), *Νάρηκος στόμα* pro *Naricis ostium* (Gellius) etc.[1]). Sic Latini, ut Dorum *α* pro *η*, ita Graecum *η* genuina pronuntiatione antiquitus immutatum conservaverunt, ut *ἐσθὴς*, *vestis*; *σημεῖον*, *signum*; *figo* ex *πήγω*; *dimidium* ex *ἥμισυ*; *ναυήγιον*, *navigium*; *ληνὸς*, *linter*; *algidum*, *ἀλγηδόνα*; *domitor*, *δμήτωρ*[2]); *μύρμηκ* — *formica*, *σπινθὴρ* — *scintilla*; *δαὴρ*, *levir*; *γεννήτωρ*, *genitor*; *γεννητὸς*, *genitus*; *λῆροι*, *liroe* (Plaut. Poen. 1, 9); *δίκης χάριν*, *dicis causa*; *μνήσκω*, *minisco*; *ψῆττα*, *psitta* (Plinius); *Κηφησία*, *Cephisia* (Gellius). Littera *η* similis est germanae *ie*, velut *θὴρ*, *Thier*; *τήγανον*, *Tiegel*; *σήθω*,

---

[1]) Confer Télfy (Stud. üb. p. Alt- u. Neugriech. p. 83 sq.) qui multa exempla praebet. Erasmus Smith (Havercamp. Syll. II. p. 643 sq.).

[2]) Nonnulli perperam *deliro* ex *ληρῶ* derivatum esse putant, recte D'Ancillonius (Miscel. Lips. Tom. VIII p. 77) animadvertit. „Delirare non fit a Graeco *ληρεῖν* sed a *lira* i. e. sulco, ut *delirare* fit a sulco i. e. a recta via deflectare, metaphora sumpta ab oratoribus." Plinius (lib. 22) *Sicinon* i. e. *Σήκηνον*.

sieben[1]), pronuntiatur. Graeci Latinum *i* longum littera *η* expresserunt, ut *Scipio*, *Σκηπίων* et *Σκιπίων*; *Numitor*, *Νομήτωρ*; *Palilia*, *Παλήλια*; *Brundisium*, *Βρουνδήσιον*; *Quirinus*, *Κυρήνιος*; *Aricinenses*, *Ἀρικηνοὶ* et *Ἀρικιεῖς*; *Carinae*, *Καρηνοὶ*; *Pompilius*, *Πομπήλιος*; *Porsena*, *Πορσήνας* et *Πορσίνας*; *Praenestini*, *Πρενεστηνοὶ*; *Aquilii*, *Ἀκηλιοὶ*; *Aventinus*, *Ἀβεντῆνος* et *Αὐεντῖνος*; *Hirpini*, *Ἱρπῆνοι*; *Samniticus*, *Σαμνητικὸς* et *Σαμνιτικὸς*; *Crimissus*, *Κριμησσὸς*, *Κριμισσὸς*, *Κριμισὸς*[2]).

Genitivi nominum in *ευς* in *ειος*, *ηος*, *ιος* terminantur. Giese (Aeolisch. Dialect. p. 51 sq.) tam accuratus est, ut discrepantias Grammaticorum[3]), qui principio quoque dissenserint, nisi alter alterum transcripserit, conjecturis, ut fieri solet, in ordinem restituat. Cur terminationem *ηος* vetustiorem quam *ειος* putemus? Potius *ειος*, nam *ει* prior littera *η* est. *Ει* Iones in *ηι* vel *ῃ* vel *η* transformare consueverunt. Littera *ε* a Graecis adjuncta littera *ι* producebatur, tum litteram *η* pro *ει* adhibebant. Hoc igitur ordine ex *Ὀδυσσεὺς* (*Ὀδυσσὲϝς*) formae *Ὀδυσσέος* tum *Ὀδύσσειος*, *Ὀδυσσήϊος*, *Ὀδύσσηος*, *Ὀδύσσιος* profectae sunt. Aeoles Ionesque tum *ει* tum *η* dicebant, quoniam hae vocales aequales et prope ejusdem aetatis

---

1) Sic *κῆνσος*, Suidas i. e. *ἐτήσιον τέλος*; *κίνσος* Hesychius *εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίου*, Germani „Zins" (vide Aug. Wannowski Antiq. Roman. p. 152); Latini tamen *census*.

2) Vide Wannowski, Antiq. Roman. c. I et II. Thomas Stanisl. Velasti dissert. de litt. Graec. pronunt. p. 63.

3) Eustath. ad Odyss. p. 1643, 2; Eustath. ad Dionys. V. 384 p. 168, 9. Bernh. Anecdot. Graec. ed. Bekk. p. 1194; Urban. Instit. L. Gr. lib. II. p. 343.

erant. Boeoti autem artium rudes pronuntiationem sequentes ι pro ει vel η scripserunt[1]). Ergo litterae η et ει et ι aequales habendae sunt.

Latini pro suo more, pro ει et *i* et *e*, pro η *e* dicebant. Priscianus (I. p. 40) „ει," ait, „diphthongo nunc non utimur, sed loco ejus in Graecis nominibus *e* vel *i* productas ponimus et in priore sequimur Aeolis: illi enim τῷ Δημοσθένῃ dicunt pro Δημοσθένει et ἧπον pro εἶπον etc." Quo loco littera η vel ῃ ad *e* productam respondere videtur, quasi ει apud Graecos *i*, apud Aeoles *e* id est η sit. Priscianus, cur Latini *i* et *e* productas pro ει loquerentur, ignorans, cum Aeoles η pro ει substituissent, Aeolico modo, η pro ει, littera *e* pro ει Latinos usos esse conjecit. Ejus rationem falsam esse nego, nam Latinam *e* productam ad η Graecam respondere, dicere tantum mihi videtur. Graeci autem omnes Aeolesque semper litteram η, nisi cum aliam quandam pro ea substituissent, ut longam *i* proferebant. Grammaticorum regulas si severius examinemus, multas fictas esse intellegimus, nam si Aeoles ει pro η posuisse dicimus, etiam η pro ει et pro aliis ut pro *υ*, Schol. Il. *Z*, 298: Αἰολεῦσι τυῖδε id est τῇδε, aliaque plurima adjiceremus, quae linguam inexplorabilem et inconditam reddunt. Antiquissimae gentes regulas Grammaticorum in scholis non didicerunt, sed, ut per se patet, pronuntiationem et vocem sequentes, si quid scripsissent, quin communia confunderent, fieri non potuit. Et propterea apud Boeotos ι pro ει et η invenimus et in titulis ι pro

[1]) Ahrens Aeolic. D. § 40, 3; Priscian. I. p. 454.

η, ut *ἱρώων* pro *ἡρώων*, *οἰκήα* pro *οἰκία*, sic *Εὐαινι* perperam pro *Εὐαινῃ* (C. Inscr. Vol. I. n. 155, p. 246) etc.

Antiquo tempore *ι* pro *η* scriptam esse apparet. Scholium (Euripid. Phoen. v. 685): *Ἐπ' ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνῃσιν Εὐκλείδου, μήπω τῶν μακρῶν εὑρημένων, τοῖς βραχέσιν ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο, τῷ ι ἀντὶ τοῦ η* (rectius tamen *ε* pro *η*, testibus inscriptionibus) *καὶ τῷ ο ἀντὶ τοῦ ω.* Plato (Cratyl. p. 418 *B*), *οἶσθα ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ ἡμέτεροι τῷ ἰῶτα καὶ τῷ δέλτα εὖ μάλα ἐχρῶντο — νῦν δὲ ἀντὶ μὲν τοῦ ἰῶτα ἢ εἶ ἢ ἦτα μεταστρέφουσιν, ἀντὶ δὲ τοῦ δέλτα ζῆτα, ὡς δὴ μεγαλοπρεπέστερα ὄντα. Οἷον οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλεν, οἱ δὲ ἑμέραν, οἱ δὲ νῦν ἡμέραν.* Sententia Platonis rectissima est, ut *δέλτα* antiquiorem littera *ζῆτα* ita *ἰῶτα* littera *ἦτα* et *εἶ* esse, quod ex dialectis Graecis scimus. Littera *ι* opposita est litteris *ε* et *η*. Quo loco *η* pro *ι* recentiores dixisse et *η* et *ε* dissimiles esse discimus. Antiquissimi igitur *ἱμέραν*, antiquiores *ἑμέραν*, antiqui aetatis Platonis *ἡμέραν* dicebant. Deinde littera *η* nec *ι* nec *ε* est, longa *ι* quidem est. Et ut *ζῆτα* ita *ἦτα μεγαλοπρεπέστερα*, id est, elegantiora et magnificentiora appellat. Quae significatio parum litterae *ε* convenit; nam ut *ζ* dulcior et suavior quam littera *δ*, pariter *η* quam littera *ι* est. Littera *ι* brevi producta in *η* grandiorem sonum edit. Hoc quidem Plato vocabulo *μεγαλοπρεπέστερον*, nimirum sonum amplum et gratum pulchrumque declarat. Idem (Cratyl. p. 402, *E*) *Ποσειδῶνα ὡς ποσιδέσμιον ὄντα. Ει* aequa atque *ι* est, ita Dores *Ποσειδᾶν* et *Ποσιδᾶν* vel *Ποτιδᾶν. Τὸ δὲ εἶ ἔγκειται ἴσως εὐπρεπείας ἕνεκα.* Plato *Ποσειδῶνα*, non ut

Poseïdona pronuntiatum sed ut *Posidona*, *ποσιδέσμιον* esse dicit. Illud *ε* diphthongi *ει εὐπρεπείας ἕνεκα* pro simplici *ι* dictum est, pariter ut supra *η μεγαλοπρεπέστερον* littera *ι* significavit. Ergo illud *μεγαλοπρεπέστερον* ut ad *ζῆτα* sic ad *ἦτα* magis quam ad *ε* pertinet. Quodsi hoc vocabulum grave et durum significasset, *ζῆτα* gravius illo *δέλτα* minime esse posset.

Litteram *η* aeque atque *ι* pronuntiatam nec atque *ε* esse, ipse Plato aliis locis, qui prave intelliguntur, docet, quorum nonnullos jam adferam: (Cratyl. p. 398, *D*). *Ὁ δὲ δὴ Ἥρως τί ἂν εἴη; — Ἐὰν οὖν σκοπῇς καὶ τοῦτο κατὰ τὴν Ἀττικὴν φωνὴν μᾶλλον εἴσει· δηλώσει γάρ σοι ὅτι παρὰ τὸ τοῦ Ἔρωτος ὄνομα, ὅθεν γεγόνασιν οἱ ἥρωες, σμικρὸν παρηγμένον ἐστὶν αἰνίγματος χάριν. Η* igitur idem cum *ε* non est, sed diversum[1]), *παρηγμένον αἰνίγματος χάριν*. Par *αἴνιγμα* est, quod Graeci *η* scribunt et Germani *ε* pronuntiant. *Καὶ ἤτοι τοῦτο λέγει τοὺς ἥρωας ἢ ὅτι σοφοὶ ἦσαν καὶ ῥήτορες δεινοὶ καὶ διαλεκτοὶ ἐρωτᾶν ἱκανοὶ ὄντες.* Cur *ἐρωτᾶν*, cum *η* ad *ε* non respondeat? Variatum vero est, nam nunc quidem *ἐρωτᾶν* sed Athenienses antiqui *εἴρειν* dicebant, et *ει* ad *η* prorsus respondet: *Κατὰ τὴν Ἀττικὴν τὴν παλαιὰν φωνὴν μᾶλλον εἴσει· — τὸ γὰρ εἴρειν λέγειν ἐστίν.* Itaque *Ἥρως* ad *εἴρειν*, *η* ad *ει* prorsus respondet, non autem *ἐρωτᾶν*, nec ad *Ἔρως*, quod *ε παρηγμένον αἰνίγματος χάριν*[2]) est. Quae verba, quamquam Platonis apis At-

[1]) Aristoteles Eth. Nic. II, 1. *Ἡ δ' ἠθικὴ ἐξ ἔθους περιγίγνεται, ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεκκλῖνον ἀπὸ τοῦ ἔθους.*

[2]) Perperam d'Ancillonius (Miscel. Lips. Tom. VIII, Observat.

ticae simplicia simplicem cogitationem declarant, tamen prope omnes Germani philologi non intellexerunt, et attonitus sum, quod ne Schleiermacherus quidem, qui ingenium et sermonem Platonis summa intelligentia comprehendit. Quod factum est, quia his η aeque atque ε pronuntiatum esse persuasum est[1]). Locus laudatus Platonis perspicuus differentiam η et ε aequalitatemque η et ει docet. Utrumque aequale cum ι est. Idem (Cratyl. p. 408 *b*), *Ἶρις ἀπὸ τοῦ εἴρειν — ὅτι ἄγγελος ἦν,* nulla adjecta explicatione, quia ει i. q. ι est, sed cum ει ad ε respondet, semper aliquid addit, ut eodem in loco *Εἰρέμης νῦν δὲ ἡμεῖς — καλλωπίζοντες τὸ ὄνομα Ἑρμῆν καλοῦμεν.* Nam Platonis veriloquia discipulis suis audientibus, si pro ει et η litteram ε et alias dispares

---

CLXVI, p. 60), ait, „voce paulum deflexa quod attinet ad significationem nominis; non dicit quod ad sonum primae syllabae, sed quod ad significationem attinet.“ Quod si verum esset, quae sequuntur sicut *εἴρειν,* quo ἥρως et illud ε in ἐρωτᾷν explicatur, absurda et inutilia fuissent.

[1]) Confer verba Schleiermacheri (II. II, Anm. ed. tertia, p. 35, 26, p. 320) „Dies altattische ist hier ohne Zweifel das nicht unterscheiden des ε und η und das wenige abweichen ist die Verwechselung des Hauches.“ De spiritu aspero adjecto vel omisso nunquam quidquam Plato dixit. „Wie ist aber zu verstehen, daſs weiter unten gesagt wird, die Heroen wären in der attischen Mundart Redner, wobei die andere Ableitung von *ἱερεία* zu Grunde liegt?“ Quid *ἱερεία*? nonne *εἴρειν*? „Man müſste schon bedeutend auch in den ganz sicheren Stellen des Textes ändern, um diesen Uebelstand zu beseitigen.“ Scilicet, et Hermannus ille imperator litterarum suo jure et arbitrio, si hunc locum tractasset, mutatum et interpolatum et interpretatum et commentatum in magnis voluminibus pervulgasset.

adhibuisset, intellecta non essent[1]). Ergo Plato cum ei litterae *η* et *ει* et *ι* aequales et *η* et *ει* litterae *ε* dispares sint, ubicumque *η* vel *ει* cum littera *ε* confert, discrepantiam in priscam aetatem, quam vix memoria hominum attingit, rejicit; cujus rei exemplis non egemus. (Cratyl. p. 411, *ε. οὐ γὰρ νοήσις* (i. e. *noiisis*) *τὸ ἀρχαῖον ἐκαλεῖτο, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ἦτα εἶ ἔδει λέγειν δύο* (*εε*) *νεόεσιν.*) Platonis igitur tempore *ἦτα* duabus *εε* non dicebatur sed antiquo tantum. Littera *η* igitur, etiamsi ex *ε* vel geminata *ε* vel aliis vocalibus contracta vel pro aliis posita est, semper ut *ι* producta pronuntiatur, nam littera quaeque unum et proprium sonum edit. Quamvis *η* productum *ε* sit, tamen longum *ι* est et ut *ι* pronuntiatur, nam ex *εε* contractis *η* et *ει* gignitur. Aristoteles (poetic. Cap. XI) *ἐπεκταμένον ἐὰν φωνήεντι μακροτέρῳ κεχρημένον ᾖ τοῦ οἰκείου, οἷον πόλεως πόληος.* Illud *οἰκεῖον* est *ε*, et productum *ε* longum fieri videretur. Verum *ε* productum non *ε* longum est sed *η*, quod longum *ι* est, propterea rectissime animadvertit *φωνηέντι μακροτέρῳ τοῦ οἰκείου* et exemplo *πόλεως, πόληος* sententiam suam illustrat[2]).

---

[1]) Homerus his vocabulis consonis sollerter utitur ut, Il. *K.* v. 415 *ἅς εἴρεαι ἥρως.* Il. *A.* v. 62 *μάντιν ἐρειόμεν ἢ ἱερῆα.*

[2]) D' Ancillonius (Miscel. Lips. Tom. VIII, p. 60) ait „Aristoteles de poetica et Plutarchus in tractatu de *ει* disertis verbis dicunt *ἦτα* esse vocalem epsilo longiorem" sed opus non est judicare, *η* longum *ε* pronuntiatum esse, sed longum *ι* quod longius epsilo est, item *εε* in *η* Graeci contrahunt atque in *ει*, utrumque longum *ι* est. Falsum est, vir docte, si *ἰῶτα* i. e. exile *ι* et *ἦτα* i. e. longissimum *ι* confundas. Argumentationem, quam hic vir adhibet, formam quasi dilemmatis habet, et quae docet

Ubique *η* longum *ι* nec *ε* esse invenimus, etiamsi in silva lapidum inscriptorum *ε* pro *η* legas, ac copiam immensam obsoletorum vocabulorum antiquissimae originis congestam cum innumeris sermonibus Indogermanae stirpis compares. Iterum Platonem patrem clarissimum Attici sermonis consulamus. (Cratyl. p. 426 *c*) de origine vocabuli *κίνησις* dicit: *Κίνησις δῆλον ὅτι ἴεσις βούλεται εἶναι.* (Quare *ἴεσις*, cum *η* ad *ε* non respondat?) *οὐ γὰρ ἦτα* (hoc est longum *ι*) *ἐχρώμεθα ἀλλὰ εἶ τὸ παλαιόν.* Porro *ἡ δὲ ἀρχὴ ἀπὸ τοῦ κίειν.* Initio *κι-* respondet ad *κίειν; ξενικὸν δὲ τοὔνομα. Κίνησις* hoc modo gignitur, *ἀπό τε τοῦ ξενικοῦ τοῦ κίειν καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ ἦτα μεταβολῆς* (i. e. *ε* mutatur in *η*, nempe *ι*, *κιειίεσις* in *κιείησις*) *καὶ τῆς τοῦ νῦ ἐνθέσεως κίνησις κέκληται, ἔδει δὲ κιείνησιν καλεῖσθαι ἢ εἶσιν.* Quem locum male interpretatus Schleiermacherus (II, II. p. 331 Anm.), ultimum vocabulum *εἶσιν* quum terminationem esse putet, emendationes proponit. Frustra. *Κίνησις* est *ξενικόν.* Plato dicit: *εἰ οὖν τις τὸ παλαιὸν αὐτῆς εὕροι ὄνομα εἰς τὴν ἡμετέραν φωνὴν συμβαῖνον, ἴεσις*

falsa sunt, ex falsis praemissis egrediens, sic hoc in loco (p. 61). „Quum *εε* in *η* contrahitur, quis crediderit ex duplici *e* formari exilem sonum litterae *ι*? (Falsum est sonum litterae *η* exilem habere, duntaxat sonus exilis *ἰῶτα*) nonne potius inde fieri debet *e* longum?“ Si *ἦτα* sonum exilem *ι* haberet, profecto potius esset longum *e*, nam sonum longum, brevibus vocalibus *εε* contractis, fieri necesse est. Hoc modo veritas examinatur, inter falsas cogitationes, minorem praeferendo, sed ab ingenio linguae et indole nationis investigandis prorsus alieni sunt. Tum linguam Latinam proprio ingenio orbantes, servam Graecae habentes omnino obedientem, pessime Graecam depravant.

ἂν ὀρθῶς καλοῖτο. Ergo ἴεσις tum ἴησις vel ἴεισις (η et ει apud Platonem nihilo differunt) fuerit, quae contracta εἶσις. Itaque εἶσις terminatio non est, sed ut κίνησις, barbaro quidem modo ex ἴεσις, initio verbi κίειν, ita ex ἴεσις κατὰ τὴν ἡμετέραν φωνὴν ἴεισις vel ἴησις, denique εἶσις. Cum η et ει soni iidem sint, et η ad ε non respondeat, ι productam esse patet. In hoc capite Plato elegantissime naturam litterarum explorat, quem si sequemur iterum η longum ι esse perspiciemus (p. 427*c*): Τὸ δ' αὖ ἄλφα τῷ μεγάλῳ ἀπέδωκε καὶ τῷ μήκει τῷ ἦτα. Litterae η propria longitudo est, gravitas autem et amplitudo, si ε longa est, nam ε litterae α pronuntiatione appropinquat. Platoni omnia motu et ingressu fiunt; vocabulis ut κίνησις, φορὰ, ῥοὴ et verbis ἰέναι ῥέειν, θέειν ceterisque res gignuntur. Litteris igitur, quae sonum ι edunt, admodum utitur, propterea in littera ι bene suam rationem exprimit (p. 426*e*): Τῷ δ' αὖ ἰῶτα πρὸς τὰ λεπτὰ πάντα, ἃ δὴ μάλιστα διὰ πάντων ἴοι ἄν· διὰ ταῦτα τὸ ἰέναι καὶ τὸ ἵεσθαι διὰ τοῦ ἰῶτα ἀπομιμεῖται. Deinde supra gavisus est in verbo κίνησις, quod motum significat, tot litteras cum sono ι, ut ει, η, ι, ιει, ιη, invenire. Si totum dialogum diligenter perlegimus, Platoni Iotacismum fastidiosum objiciamus, quem tamen philologi peritissimi litterarum Graecarum non intellexerunt. Exemplo rem explanemus. Verbis ἀλήθεια, ψεῦδος, οὐσία naturam soni ι et ε, motum et quietem, vigorem et somnum Plato sollertissime exprimet (p. 421): Ἀλήθεια· ἡ γὰρ θεία τοῦ ὄντος φορὰ ἔοικε προειρῆσθαι τούτῳ τῷ ῥήματι, τῇ ἀληθείᾳ, ὡς θεία οὖσα ἄλη. Cur ἀλήθεια, φορὰν et θείαν

ἄλην significet? nonne aptius esset, si et tranquillitatem, cum veritas, quod semper est, quod idem immutatum remansit, ostendat? Num verba *θεία* et *ἄλη*, quae in *ἀλήθεια* continentur, Platonem eo duxerunt, et *φορὰ* nihil nisi *ἄλην* explanat? Minime gentium; motum principium rerum habet et eo soni *ι*, qui in *ἀληθείᾳ* continentur, adducunt; tum suaviter verbis *ἄλη* et *θεία* sententiam suam absolvit. Contra *ψεῦδος τοὐναντίον τῇ φορᾷ· πάλιν γὰρ αὖ λοιδορούμενον ἥκει τὸ ἰσχόμενον καὶ ἀναγκαζόμενον ἡσυχάζειν, ἀπείκασται δὲ τοῖς καθεύδουσιν.* Bene littera *ι* laudatur. *Τὸ δὲ ὂν καὶ ἡ οὐσία ὁμολογεῖ τῷ ἀληθεῖ.* Cur *τὸ ὂν* cum *ἀληθεῖ? Τὸ ἰῶτα ἀπολαβόν· ἰὸν γὰρ σημαίνει.* Litterae *η* et *ει*, quae in *ἀληθείᾳ* sunt, et littera *ι* in *ἰὸν φορὰν*, et *ε* in *ψεῦδος τὸ ἰσχόμενον* et *καθεῦδον*, significant. Littera *η* ab *ι* longitudine quadam differt, utramque *ἵημι* et *ἵεσθαι* significat. *I* tantum tenue, et *η* longum *ι* est. Si Plato a sono *ι* abhorrebat, ut Latini eorumque imitatores, nulla causa erat depravandi illud *ὂν* in *ἰὸν* et *οὐσίαν* in *ἵεσιν* quandam, nam indoctus non erat, ut *ὂν* et *οὐσίαν* ab *εἶναι* orta esse nesciret. Toto dialogo Iotacismus, nempe illud *ἰὸν καὶ τὸ ῥέον καὶ τὸ δοῦν*, quae *ὡσπερεὶ στοιχεῖα τῶν ἄλλων ἐστὶ καὶ λόγων καὶ ὀνομάτων*, effulget. Nec plura: totum dialogum laudo, qui exemplum amplissimum litteram *η* ut *ι* longum quidem pronuntiandi praebet. Elegantissime Plato et serio et joco fere in omnibus verbis flumen rerum demonstrans, cujus cursum et strepitum sonus *ι* maxime repraesentat, linguam natura gigni docet. Quodsi litteram *η* et *ει* ut *ε* pronunties diphthongosque Germa-

nico more, Platonis diverbium absurdum et ineptum habebis. Opus non est, vir optime et doctissime Schleiermacher, quod Platonem elegantissimum oratorem et philosophum et poetam excuses, sed potius lectores, qui Atticum sal non gustaverunt. Cujus verba haec sunt, quae Platonis urbanitatem rusticam esse volunt (II, II. p. 6): „Es ist schwierig den tiefsinnigen Mann zu rechtfertigen wegen einer solchen Masse schwerfälligen und leeren Scherzes und wegen des beispiellosen Verfahrens seine unglückliche Neigung zum Wortspielen auf eine so erstaunenswürdige Weise ausbrechen zu lassen.“ Exempla Platonis antea allata ad pronuntiationem litterae *η* ut longae *ι* suppetere opinor. Litterae *ε* Plato nullam fecit mentionem, nam Graecis elegantiam et dulcedinem linguae colentibus ingrata et hians videbatur.

Dionysius (de compos. verbor. XIV. p. 76) litteram *η* hoc modo proferendam esse docet. *Κάτω περὶ τὴν βάσιν τῆς γλώσσης ἐρείδει τὸν ἦχον ἀκόλουθον· ἀλλ' οὐκ ἄνω καὶ μετρίως ἀνοιγομένου.* Non ut *ε* igitur, nam non sursum sed deorsum ut longa *ι* prolata est[1]). Litteram *ι*, *περὶ τοὺς ὀδόντας γὰρ ἡ κρότησις τοῦ πνεύ-*

[1]) Non recte Gustavus Seyffarthus (de sonis literar. Graecar. p. 392) ait „ex quo intelligitur *η* inter *a* et *ι* medium valere *e*.“ Liscovius (p. 112) „Demnach lautet das *η* wie *e* oder doch fast so.“ Idem Dionysius scribit *η* pro Latina *i* in Latinis nominibus, ergo argumentatio, cum *η* simul *e* simul *i* fuerit, recta esse nequit Aristotelis judicium sequens (Metaph. IV [Γ] 3 p. 1005 *B* 1) *τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό.* Praeterea illi homines docti verba Dionysii prorsus non intellexerunt.

ματος γίνεται μικρὸν ἀνοιγομένου τοῦ στόματος. Similiter ut *η*. Sonus litterae *ι* est tenuior et subtilior *μικρὸν ἀνοιγομένου*, sed *η* longior *μετρίως ἀνοιγομένου τοῦ στόματος*[1]). Litteram *ε* prorsus asperam et rudem rejecit. *Τῶν δὲ βραχέων (ε, ο) οὐδέτερον μὲν εὔηχον, ἧττον δὲ δυσηχὲς τὸ ο. διΐστησι γὰρ (ε) κρεῖττον θατέρου (ο), τὴν δὲ πληγὴν λαμβάνει περὶ τὴν ἀρτηρίαν μᾶλλον.* Cum talia de brevi *ε* dicat, quaenam de illo *η*, si aequale longo *ε* atque adeo geminato *εε* esset, dixisset? Littera *η* igitur *ι* est, quam ipse prorsus *ι* nominat (XII ed. Reiske p. 167): *Καὶ Ἀθηναίων — ἀκέραστοί τε γὰρ αἱ φωναὶ τοῦ τε ι καὶ α, καὶ ἀπο-*

---

[1]) Télfy (Studien über d. Alt- u. Neugriech. p. 87) Theodosii Grammatici definitionem pronuntiationis litterae *ἦτα* adfert (ed. Goettling. p. 4), *τῶν φωνηέντων ἃ μὲν κεχηνότων τῶν χειλέων λέγομεν, ὡς τὸ η, ἃ δὲ μύοντες τὰ χείλη λέγομεν ὡς τὸ υ, ο.* Est igitur sonus longus *ι*, qui labris hiantibus profertur, *e* autem ore hiante. Idem (p. 90) verba Scholiastae Dionysii Thracis componat (Anecdt. Bekker. p. 797), quae tamen nihil discrepant, *δεῖ δὲ τὸ η μὲν ἐκφωνοῦντα μηκύνειν τὸ στόμα ὡς ἐπὶ τὰ ὦτα ἑκατέρωθεν.* Télfy perperam grammaticos intellexit, cum haec diceret „Solche entgegengesetzte Definitionen können nur durch die Anerkennung des Lautdualismus des *η* ausgeglichen werden." Hae definitiones cum Dionysii Halicarnassensis componendae sunt, ita, *τὸ ἦτα λέγομεν κεχηνότων τῶν χειλέων* (minime, vir docte, „mit weit geöffnetem Munde" sed mit — Lippen), *μετρίως ἀνοιγομένου τοῦ στόματος καὶ μηκυνομένου ὡς ἐπὶ τὰ ὦτα ἑκατέρωθεν.* *H* longissimum *ι* est, quod os admodum extendentes proferimus. (Schol. Dionys. Thrac. ed. Bekk. p. 797): *Ζητησάντων δέ τινων, ποιόν ἐστι τῶν δύο (η* et *ω) μακρότερον, εὑρέθη τὸ η.* Item perperam Thomas Smith interpretatus est (Haverc. II. p. 536 sq.). Ceterorum errores praetermitto.

κόπτουσαι τὸν ἦχον, nempe litterae vocabuli *Ἀθηναίων* *α* et *η*, quarum soni *α* et *ι* sunt. Item grammatici *ι* *ἀντίστοιχον* litterae *η* docent; vide N. I. Bloch. Revision d. Aussp. d. Alt-Griech. p. 54. Georgiades p. 132 et infr. § XVII.

Plurimis exemplis pronuntiationem *η* aequam ac litterae *ι* propinquarumque et inscriptiones et manuscripti omnium temporum, in quibus littera *η* exstat, vocalibus *η*, *ει*, *ι*, *υ* etc. inter se mutatis praebent[1]). Quodsi per temporis ordinem pronuntiationem litterae *η* ut longae *ι* exemplis inscriptionum et manuscriptorum demonstrarem, dissertationem longissimam et fastidiosissimam lectoribus praestarem. Exempla frequentissima sunt aetate imperatorum Romanorum et posteriore [2]). Testimonium quoddam egomet ipse affero,

[1]) vide Oekonomus (p. 120, p. 123, p. 175 sq., p. 178 sq., p. 181 sq.). Mullach (Gr. Gramm. vulg. p. 126 seqq.), Schneidewin (Praefat. Hyperidis p. XII), Placentinius (de rect. graec. sermon. pronunt. p. 128); et inprimis Joh. Rodolphi Wetstenii Orationes Apologeticae de ling. graec. pronuntiat. (p. 126—145) (p. 147—154 multa Graeca vocabula ab Hebraeis, Assyriis, Chaldaeis, Coptis affert adhibita, unde *η* ad *ι* longum respondere patet, pari modo ab Arabibus, Persis, Russis, Germanis, Gallis.) (Liskovius p. 110).

[2]) Corssen, Vocal. Ausspr. d. lat. Sprache. p. 231 sq. Plurima in locis supra annotatis Oeconomus adhibet, qui accuratissime cujusque temporis permutationes litterae *η* cum litteris ejusdem soni congessit. Liscovius (p. 112, p. 114 sqq., p. 118, p. 120 sqq., p. 124). In Etymologicis magnis multa sunt, quae pronuntiationem litterae *η* ut *ι* demonstrant, et alia in Hesychio ceterisque lexicographis et grammaticis reperias, e. c. (Schaefer ad Gregor. Corinth. p. 923), *βεβηκὼς* et *βεβιωκώς*, (p. 911) *Εἰλήθυια* et *Εἰλείθυια*

quamquam supervacuum, nimirum Liutprandi episcopi, qui ab imperatore Ottone ad Nicephorum Phocam (965 p. C.) legatus in sua historia varia vocabula Graeca Latinis litteris secundum pronuntiationem scripta profert, ut ἔγειρε, εἶπεν, ἄθλιε καὶ ταλέπωρε καὶ περιπάτει, μὴ φοβοῦ, *egire, ipen, athlie ke talepore ke peripati, mi fobu.* ει et η littera ι reddit. Pronuntiatio diphthongi αι aequalis atque ε, eum in errorem, ut ταλέπωρε pro ταλαίπωρε scriberet, induxit.

Litteram η ut ι et recto modo ut ι productam pronuntiandam esse docuimus; quodsi ε et α pro η scribitur, litteram η ut ε vel α prolatam esse necesse non est. Plato, quem satis laudavimus, η aeque ut ι pronuntiasse videtur (Cratyl. p. 404 *B*): Δημήτηρ μὲν φαίνεται κατὰ τὴν δόσιν τῆς ἐδωδῆς διδοῦσα ὡς μήτηρ κεκλῆσθαι, h. e. δι[δουσα] μήτηρ. Ergo cum inter Διμήτηρ et Δημήτηρ nihil intersit, littera η aequa atque ι habenda est. Vocabulum γηγενὴς et γίγας affinitatem litterarum η et ι demonstrat. Aristophanes (Pax v. 926): Βοΐ, μηδαμῶς ἵνα μὴ βοηθεῖν ποι δέοι. Schol. πρὸς

---

et Ἐλλίθυια confusa docet. De tempore Alexandrinorum praeterea confer Mullach (Gr. Gramm. vulg. p. 21 sq.), qui multa etiam in praefatione adfert. Sturz (de dialect. Aegypt. p. 117 sq.) et Stanislaus (de pronunt. Graec. p. 58 sqq.). Sic Bloch (p. 99), qui in Basilii erotemat. Gramm. in M. Moschopul. περὶ σχεδῶν et in Herodiam ἐπιμερισμοὶ litteras η et ι et diphthongum ει aequum sonum edere dictas annotat. (Stanislai de pronunt. litt. Graec. p. 107). Πᾶσα λέξις ἐν ισιος διὰ τοῦ ἰῶτα γράφεται οἷον χριστὸς, πλὴν τοῦ χρηστὸς, σειστός, ἄπειστος. (vide Seyffarth de sonis ling. Graec. p. 395 sqq.) (Liscovius p. 101, p. 123.) Choeroboscus (Bekker. Anecdot. Graec. Vol. III p. 1188, 28).

τὴν ἀρχὴν τῶν ὀνομάτων τοῦ *βοῖ* καὶ τοῦ *βοηθεῖν* ἔπαιξεν. Idem v. 918. ἀλλ' *ὑΐ* παχείᾳ — v. 919 ἵνα μὴ — *ὑηνία*. Aristophanes elegantissimus poeta bene sono ludens pariter η cum υ commutat. (Thesmoph. v. 157), Ὅταν σατύρους — καλεῖν ἐμὲ ἵνα συμποιῶ σοὔπισθεν *ἐστυκὼς* ἐγώ. Ita vulgo. Meineke, ἑστηκώς. Schol. ἐπὶ ὡς ἐπίπαν ἐστυκότας τοὺς σατύρους εἰσάγουσιν. Aristophanes jocatur, verbis ἐστυκὼς et ἑστηκώς. Nam si ἑστηκὼς scribas, auditor Satyros ἐστυκότας cognoscens verbo aequivoco gaudet, sin ἐστυκὼς continuatio orationis ἑστηκὼς postulat. Spiritus asper nihil impedit, nam in initio ante vocalem difficile auditur. Pariter (v. 509) τὸ γὰρ ἦτρον τῆς *χύτρας* ἐλάκτισεν. Schol. δέον εἰπεῖν τὸ βρέφος τὸ ἦτρον τῆς *μήτρας* ἐλάκτισεν, εἶπε τῆς χύτρας, ἐπειδὴ ἐν χύτρᾳ εἰσῆλθε τὸ παιδίον. Poeta *χύτρα* et *μήτρα*, quae pari modo pronuntiantur, ingeniose permutat. Idem (Plut. v. 589), litteram ε cum ει confundit. *Λήροις* ἀναδῶν τοὺς νικῶντας τὸν Πλοῦτον ἐᾷ παρ' ἑαυτῷ. — *Λήροις* et *λείροις*. Schol. λείροις i. q. ἄνθεσιν, λήροις i. q. φαύλοις πράγμασιν. Εἰσὶν δὲ οἳ καὶ παίζειν φασὶ τὸν κωμικὸν πρὸς ὁμοιότητα ἤχου τοῦ κατά τε τὸν λῆρον τὸν διὰ τοῦ η γραφόμενον καὶ παρὰ τὸ λείριον διὰ διφθόγγου[1]) κατὰ τὴν ἄρχουσαν[2]) σημαίνει δέ τι ἄνθος — ἵνα ἐν τῷ λέγειν, ἀναδῶν τοὺς νικῶντας δοκῇ διχῶς νοεῖν, ἢ ὅτι ἀνθηρῷ στεφάνῳ στεφανοῖ, οἷον λειριοέντι, ἢ ὅτι

---

[1]) Diphthongus nimirum ει, quae, cum η antecesserit, per se intelligitur.

[2]) Grammaticus, cum ει et ι eodem modo pronuntiarentur, errorem evitans, κατὰ τὴν ἄρχουσαν adjecit, quae significatio alioquin supervacua fuerit.

λήρῳ τῷ κατὰ φλυαρίαν. Τοιοῦτόν τι παίζει καὶ περὶ Κειρύλου (Aves. v. 300), ἔνθα καὶ διὰ τοῦ η κεῖται ἡ λέξις, ὡς ἐπὶ ὄρνιθος οὕτω λεγομένου καὶ διὰ διφθόγγου δὲ διά τινα κουρέα, ὡς ἀπὸ τοῦ κείρω.

Idem (Aves. v. 575), ita legitur.

Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος ἔφασκ' ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ.

Schol. Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος. Ὅτι ψεύδεται παίζων οὐ γὰρ ἐπὶ Ἴριδος ἀλλ' ἐπὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἥρας. (Homer. Il. *E.* v. 778),

Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελείασι ἴθμαθ' ὁμοῖαι.

Aristophanes sollerter ludit, nam Mercurium et Victoriam et Amorem producit, qui volatiles esse solent, tum Irin, quam volucrem Graeci opera poetarum et artificum cognorant. (Homer. Il. *Λ.* 185):

Ἶριν δ' ὤτρυνε χρυσόπτερον ἀγγελέουσαν.

Poeta comicus dictum Homeri notum Atheniensibus, facetissime deam Ἥρην et Homerum quasi divinarum rerum parentem commemorans, illudit. Ἶριν in Ἥρην emendandum non est, nec εἶναι in βῆναι, nisi jocum depraves. Nam poeta sapiens βῆναι Homeri in εἶναι, quod similiter pronuntiatur, mutavit, quia ridiculum est, Iunonem superbam reginam, πρέσβην θεάν, βοῶπιν et πότνιαν et μεγασθενῆ (Pind. Nem. 1. 2) aequalem ac columbam esse, sed Irin teneram et venustam et volucrem et versicolorem, ποδήνεμον, πόδας ὤκεα, ἀέλλοπον, χρυσόπτερον, ταχεῖαν, columbam aequasse aptissimum est. Aristophanes rectissime scripsit, sed auditor Homerum etiam Iunonem irrisisse intelligit. Comoediae enim proprium est poeticam orationem non mente sed sensibus percipere, itaque oratio Homeri poetica et Aristophanis comica est. Urbanus homo Atticus cachinnatur, cum Ἥρην

illam heroicam et croniam, de qua Homerus cecinit (Il. E. v. 784 sqq.):

Ἔνθα στᾶσ' ἤϋσε θεὰ λευκώλενος Ἥρη,
Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ,
Ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα,

aequalem trepidae columbae esse audit. Quidni Minervam memoravit? an quia Athenae sub ejus tutela erant? Minime quidem, sed ne jocum corrumperet. Ceterum ut Athenienses *Ἥρην* pro *Ἶριν* recordarentur, Iovis elegantissime jocans mentionem injecit. Profecto versus Aristophaneus integer est, nam aliud dicere aliud sentire comoediae alienum non est. Inde litteras *η* et *ι*, etiam *η* et *ει* aeque pronuntiatas esse discimus.

Homerus quoque minime inepte vocibus consonis *Ἥρη* et *Ἶρι* ludit (Il. σ 182, 184).

Ἶρι θεά, τίς γάρ σε — ἄγγελον ἧκεν,
Ἥρη με προέηκε.

Eustathius (p. 1009, in Iliad. *Α*. p. 125) alia quoque affert, ut (Il. *Α*. v. 101): *Βῆ ῥ' Ἶσον,* ubi nonnullis propter aequam pronuntiationem *Βῆ Ῥῆσον* scribere placuit[1]); (Il. *E*. v. 724) *ἦτοι* et *ἴτυς*[2]); similia sunt (Od. *Σ*. v. 333) *ἀλύεις — ἀλήτην*[3]), quae annominatio elegans et acerba ex ore turpis Melantho auditur.

Ἦ ἀλύεις, ὅτι Ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην;

Pariter Homerus saepe cum nomine *Ἶρον* concinit,

---

[1]) Eustath. p. 833 *βέβληται ἐνταῦθα ἐν τῷ βῆ ῥ' Ἶσον Ῥῆσον δῆθεν τινὸς ἀπήχησις.*

[2]) Id. p. 599 *ἔχει τι κάλλους διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παρήχησιν τοῦ ἦτοι καὶ τοῦ Ἴτυς.*

[3]) Id. p. 1849 *τὸ ἀλύεις μετὰ τοῦ ἀλήτου ἔοικε παρηχεῖν.*

(v. 56) *Ἴρῳ ἦρα φέρων*, ita ut (v. 75) *Ἴρῳ δὲ κακῶς ὠρίνετο θυμός*. (Il. Ξ.) *υἷος ἑῆος* (v. 9) *ἑοῖο* (v. 11)[1].

Athenaeus (p. 17 *d*). *Εὔπολις δὲ τὸν πρῶτον ἡγησάμενον τὸ τῆς ἀμίδος ὄνομα ἐπιπλήττει λέγων:*

Α. μισῶ λακωνίζειν —

Α. Ὃς δὴ πρῶτος ἐξεῦρεν τὸ πρᾠ πιπίνειν,

Β. Πολλήν γε λακκοπρωκτίαν ἡμῖν ἐπίστασ' εὑρών.

Α. Εἶεν, τὶς εἶπεν, ἀμίδα παῖ, πρῶτος μεταξὺ πίνων;

Β. Παλαμηδικόν γε τοῦτο τοὐξεύρημα καὶ σοφόν σου.

Egregie primos inventores irridit, prius ex *λακκωνίζειν* et *πρᾠπιπίνειν λακκοπρωκτίαν*, postea elegantius ex *παῖ ἀμίδα*, fecit *Παλαμηδικόν*. Littera igitur *η* ad *ι* respondet.

Iam vero Aeschyli et Platonis aliorumque, qui aequalitate sonorum saepissime utuntur, ut orationem extollant, nonnulla exempla affero. *Προσκυλίσεις καὶ προσκυνήσεις* (Plat. legg. p. 887 *E.*) *ἠρτημένα τὰ εἰρημένα* (legg. p. 884) et persaepe *δεῖ δὴ* et illud sopistarum *ἥττονα κρείττονα*, nunquam autem *τὸν ἐλάττονα κρείττονα* studio concinnitatis dicitur. *Πήματα λύματα* et manuscripti etiam gravius *Πήματα λύματα δείματα* (Aeschyl. Prometh. ad Hermann. v. 692); *βρυχία δ' ἠχὼ* (Id. v. 1085) *ψυχὴν ἐξαναψήχει* (Stobaeus XXXVIII, 53). Sic *οὐδὲ λίθινον ἀλλ' ἀλήθινὸν* (Athenaeus p. 253 *E.* cap. VI)[2]) *μὴ τυρὸν, μὴ λῆρον* (Athenaeus p. 278 *c.*).

[1]) Id. p. 964 *τὸ μὲν υἷος καὶ ἑῆος παρισοῦσι, τὸ δὲ ἑῆος καὶ τὸ ἑοῖο παρηχοῦσι.* (v. Liskovius p. 127 sqq.)

[2]) Confer Elissen p. 135 (XIII. Versamml. deutsch. Philol. in Göttingen).

Annominatione multae fabulae moresque[1]) nati sunt. Cur victores Nemeae apio coronantur? Nemeae locus, quo ludi celebrantur, *Σελήνη* appellatus et leo occisus filius lunae fuisse traditur. Ex *Σελήνῃ* factum est *σέλινα*, cum *η* ut *ι* audiretur. Meinekius (Analect. Alexandr. p. 85): „Nemo", ait, „melius illustrat quam Aelianus (H. A. XII, 7) *τὸν Νεμεσαῖον λέοντα τῆς σελήνης ἐκπεσεῖν φασί*. Tum Epimenidis versus affert:

Καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης ἠϋκόμοιο
Ἣ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα
Ἐν Νεμέᾳ, ἀνάγουσ' αὐτὸν διὰ πότνιαν Ἥραν."

(Schol. Apoll. Rhod. I, 408) *τὴν δὲ σελήνην Ἀναξαγόρας χώραν πλατεῖαν ἀποφαίνει, ἐν ᾗ δοκεῖ ὁ Νεμαῖος λέων πεπτωκέναι.* (Boeckh. Pindar. Scholl. p. 425) *Ἐστὶ δὲ Νεμέα — ὠνομασμένη ἀπὸ τῆς Σελήνης.* Ergo cum ibi leo lunae filius necatus sit et locus *Σελήνη* vocetur, propter annominationem victores apio decorabantur. Utrum *σέλινον* ex *σελήνῃ* an *σελήνης* fabula ex *σελίνῳ* natum sit, nescio, sed quin vocabula cohaereant, non dubito. Aequae originis fabula Niobae, quae lapis facta sit, mihi videtur. Niobe adversus Latonen, quam Graeci *Λητὼ* appellant, impia est. *Λητὼ* et *Ληθὼ*

[1]) Confirmationes Socratis *νὴ τὸν κύνα* et *νὴ τὴν χῆνα* pro *νὴ τὸν Ζῆνα* et *νὴ τὴν Ἥραν,* per annominationem adhibitas esse opinor, cum Socrates per deos jurare improbaret. Tum philosophi eum imitantes iisdem invocationibus utebantur. Aristophanes (Vesp. v. 83) *μὰ τὸν κύν' ὦ Νικόστρατε.* Schol. *Οὕτως διὰ δεισιδαιμονίαν ὤμνυον. ἢ τάχα μιμεῖται τοὺς φιλοσόφους εἰς κύνα καὶ χῆνα ὀμνύοντας.* Sed in hoc loco sollerter poeta comicus illum *μὰ τὸν κύνα* dicentem fecit propter versum (84) *ἐπεὶ κατ[ω]ύγων ἐστὶν ὅ γε Φιλόξενος.*

eadem sunt; Etym. Magn. p. 564 *Λητὼ παρὰ τὸ λήθω τὸ λανθάνω — κατὰ δέ τινας Ληθώ*; Plat. Cratyl. p. 406, *πολλοί γε Ληθὼ καλοῦσιν*. Annominatione Niobe, quod *Ληθὼ* contumelia affecerit, *λίθος* facta est. Pariter Homerus (Il. *Ω*. v. 611) homines lapides a Jove redditos fecit, cum *λαὸς* et *λᾶας* consonent. *Λαοὺς δὲ λίθους ποίησε Κρονίων*. Eademque de causa *λαοὶ* a Deucalione ex lapidibus nati sunt; Etym. Magn. *Λαὸς — οἱ δὲ ὅτι Δευκαλίων λίθους ῥίπτων ἀνθρώπους ἐποίει*. Item ex Homerico cognomine Veneris (Il. *γ*. v. 424) *φιλομειδὴς* vocabulo consono *φιλομηδής*, Hesiodus (Theogon. v. 200) fabulam confinxit, hanc ex *μήδεσι* castrati Urani natam esse:

Ἠδὲ φιλομμήδεα, ὅτι μήδεων ἐξεφάανθη.

Etym. Magn. Gudian. *Κύπρις — οὐχ ὥς τινες συμπλανηθέντες τῷ Ἡσιόδῳ ἔδοξαν — τὴν φιλομειδῆ ὅτι μήδεων ἐξεφαάνθη. Ὅμηρος δ' οὐκ εἶπεν τὴν τὰ μειδιάματα φιλοῦσαν, οἷον ἱλαρὸν διὰ τὴν ἐγκειμένην αὐτῆς δύναμιν ἀπὸ τῆς συνουσίας*. Porro *μύρμηκες* et *Μυρμιδόνες*. Hoc modo multae fabulae sunt ortae; sic Minervae propter cognomen *γλαυκῶπις noctuae, γλαῦκες*, et Apollini *λυκίῳ lupi, λύκοι*, dedicabantur. Pariter *Δελφοὶ* et *δελφὶν*, et *Μιννάδες* et *Μαινάδες* (Aelian. V. H. III. c. LXII ed. Kuehn p. 328) et *Πελασγοὶ* et *πελαργοί*, aliaque quae huc non pertinent, sicut ex *παλαιαὶ* vel *πελαιαὶ* vates Dodonae *πέλειαι columbae* fiunt.

Quid plura? satis aequalis pronuntiatio litterarum *η* et *ει* et *ι* et *υ* lucet. Aetatis posterioris exempla innumerabilia praetermitto, vide Oeconomum p. 181 sqq. Exemplum aliquod tamen affero. Justinus (In apolog. II.

p. 42) haec ait, *ὅσον τε ἐκ τοῦ κατηγορουμένου ἡμῶν ὀνόματος* (i. e. *Χριστιανοὶ*) *χρηστότατοι ὑπάρχομεν*, tum *Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα, τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον*. Clemens Alexandrinus (Stromat. I. p. 268) *Αὐτίκα οἱ εἰς τὸν Χριστὸν πεπιστευκότες χρηστοί τε εἰσὶ καὶ λέγονται*. Idcirco Photius (LXXXIX) *Ἰσαυρίαν* a nomine *Ἡσαῦ*[1]) et cetera.

Thiersch (Gr. Gramm. § 14, 4) haec dicit: „Schon im koptischen Alphabet, das von Alexandrien aus den Kopten mitgetheilt wurde, sind die Buchstaben *Beta, Zeda, Eta, Theta, Bida, Zida, Chida, Thida* benannt, und *ἐλέησον* mufste schon *eleison* gesprochen werden, als das *κύριε ἐλέησον* in die lateinische Kirche überging." Qua aetate Alexandrina Plutarchus litteram *e* longam Latinorum frequentissime littera *η* reddit. Thiersch (Gr. Gramm. § 14, 3), *ῥὴξ, ῥῆγας, δηνάριον, πότηνς* etc. *rex, reges, denarium, potens.* Fischer (Animadv. Gr. Gr. Veller. p. 21) „Nam etiam", ait, „Graeci scriptores antiqui vocalem longam Latinorum *e* vocali *η* suae linguae expresserunt, ut Plutarchus (Vit. Romul. c. 21 p. 69. Tom. I. Tub.) *τὸ μὲν γὰρ στέρεσθαι καρῆρε — ὀνομάζουσιν.*". Antiquus scriptor Graecus Plutarchus auctore Suida sub imperatore Trajano vivebat, aetate, qua nemo vir doctus, quin littera *η* ut longo *ι* proferretur dubitavit. Plutarchus rectissime litteram *e* longam, Romanorum propriam, Graeca *η* reddit, nam apud Latinos *e* producta *e* longa, contra apud Graecos *ε* producta *η*,

[1]) *Οὗτος ἰσχυρίζεται τὴν Ἰσαυρίαν ἀπὸ τοῦ Ἡσαῦ λαβεῖν τὴν ἐπωνυμίαν.* Confer Rodolph. Wetsten. Orat. Apolog. p. 157 sqq. et Georgiadis de pronunt. element. Graec. p. 84; et Telfy p. 85.

i. e. *ι* longa, ut (p. 83, 90, 101) diximus, fit[1]). Fortasse Latinos quoque antiquissima aetate maxime littera *ι* usos esse, auctores sunt grammatici et inscriptiones Latinae. Ita Latini principio Graeco more diphthongos *ai* et *ei* et *oi* dicebant, tum littera *ι* in *e* mutata *ae*, *e*, *oe*. Quis est, qui tam indoctus sit, ut Graecos quoque non *αι* et *ει* et *οι* sed *ae*, *e*, *oe*, dixisse et litteras Graecas *ι* et *η*, illam brevem *e*, hanc longam *e* aequasse doceat? Mirum non est, si quis inveniatur, nam inepta compositione monstra immania fieri solent, nam similia tam absurde confunduntur, quasi simia et homo, ut cum tantillum commune habeant, aequales et iidem insulse putentur. Eadem igitur ratione apud Latinos diphthongus Graeca exempli causa *οι*, non ut longa *ι* sed ut *e*, cum *ι* in *e* transmittant, auditur.

Linguae antiquae cum invicem vocabula mutuarentur, tempore antiquissimo easdem litteras eundemque sonum servare studebant, nam illo tempore linguae fere congruebant, et cum sermones proprio ingenio et indole excolerentur, vocabula affinis sermonis doctrina et ratione linguae inter se accommodabantur, ut Graece loquar, *τὰ μὲν λατινικὰ ἑλληνίζοντο, τὰ δὲ Ἑλληνικὰ ἐλατινίζοντο.* Propterea Latini Graecas litteras vocabulorum pro sua voce et suo ingenio mutabant et detorquebant, ut Horatius (Ars Poetic. v. 52) recte animadvertit:

---

1) Confer falsam argumentationem Seyffarthi (de sonis lit. Graec. p. 393). „Cum vero id spectaverit Plutarchus," ait, „ut verborum Latinorum sonus suae gentis servaretur, luce clarius est, *η* tunc temporis universe *e* significasse."

„Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent, parce detorta."

Tempore recentissimo, cum linguae nec arte nec doctrina florent, deterius quam antiquissima aetate litterae ejusdem soni commutantur. Ergo Latini, donec lingua eorum florebat, litteras Graecas e. g. *η* littera producta *e*, tum lingua labente littera *ι*, solam pronuntiationem sequentes reddebant; et Graeci pro longa *e* antiquissimo more non *η* vel *ει* substituerunt sed litteram *ε*, verum ea aetate, qua ars valebat, propria indoles linguae observabatur. Deinde nos, antiquum morem sequentes, barbarum *e* longum illo *η*[1]) saepe reddimus. Ergo Latinorum tantum etacismus proprius, Graecorum autem itacismus, est. Sonum *e* per omnes partes linguae Latinae ut Graecae sonum *ι* conspicimus. Uterque populus suam indolem litteris ipsis expressit. Graecorum litterae plurimae sono *ι* proferuntur, *βῆτα, εῖ, ζῆτα, ἦτα, ϑῆτα, ἰῶτα, μῦ, νῦ, ξῖ, πῖ, σίγμα, φῖ, χῖ, ψῖ.* Latinorum *e* (Priscian. I. p. 8. 10. ed. Keil), *be, ce, de, e, ef, ge, el, em, en, pe, er, es, te, ve, zet.* Latini litteras a Graecis acceptas suae voci accommodaverunt; in quibus non solum *η* ad *e* respondet, sed litterae etiam *ι* et *υ* et *ει*. Inde argumentari non possis, in *ἦτα* Latinos, quia *eta* Graeci proferrent, illo *e* usos esse, nisi ceteras quoque has vocales per *e* pronuntiasse putes. Si nomina litterarum Dorico modo accepissemus, profecto sonum *α* saepissime audiremus. Indolem Dorum et Latinorum Graecorumque uno exemplo constituemus;

[1]) Ita vulgo *ῥῆγας*, i. e. *rex* pro *βασιλεὺς*, in chartis quibus ludendo utimur, nuncupatur.

Dores *σὰν,* Latini *es,* Graeci *σῖγμα,* quae vocales *a, e, i,* aptissime peculiarem cujusque naturam repraesentant. Graeci elegantissimi, sonum *ι* gratum et aptum ad brevia longaque tempora significanda illi *ε* ingrato et hianti praetulerunt. Littera *ε* fere semper brevis remanet, nam producta in longam *ι* (*η*) transit.

Quodsi pronuntiationem litterarum Graecorum, quas jam absolvimus, reputabimus, fere omnes ore semiaperto inter discrimina dentium leniter lingua vibranti prolatas esse reminiscemur. Cum vero propria linguae alicujus nota vocalis *α* vel *ε* est, quae ore aperto et hianti profertur, tum haec litteris, dulcibus et mollibus carens, duris et surdis abundat. Propterea Dores, quin adeo Lacedaemonii, litteras dure et horride eloquebantur litterasque aspiratas linguae Graecae gratissimas potissimum evitabant. Idem Latinorum est, quorum durities magis etiam eminet, ipsa vocis natura barbaraque consuetudine, linguam suam quamquam Graecae affinem ab ea alienantium. Idcirco *ι* in *e* mutabant et saepe *e*, utrum *ι* an *e* sonaret, non perspiciebant, (Quintilian. Inst. Or. I, IV, 8) et ad libidinem permutabant *e* praeferentes (Cic. de orator. III, 12 § 46). Sensim illud *α* antiquissimae aetatis et illud *ι* non minus antiquum Latini auferentes, linguam simpliciorem eandemque suae indoli accommodatam formaverunt. Cum deinde Romani orbem terrarum imperio tenerent, suis litteris et moribus linguas gentium depravabant, minus autem linguam Graecam, quae hominibus doctis et litteris antiquis et libris sacris perpetuo sustinebatur, et cum utraque lingua indole sua adeo diversa esset, ut Graeci semper Latina vocabula,

quae acciperent, in suam transformarent. Sermo vulgaris et rusticus Graecorum num corruptus fuerit, non quaerimus. Sed ceterae linguae Latina auctoritate et per se formabantur, quamobrem si quis Graecam cum ceteris linguis conferet, e. c., cum Germanica, primum haec ipsa per se inquirenda est, tum ope Latinae, denique, elementis novis et adventiciis remotis, summa diligentia cum ipsa Graeca comparanda erit. Aliter linguae et elementa pessime confundentur et doctrina nostra molem inconditam continebit. Ergo lingua Graeca per se consideranda est, nam si tantum Latinam intuearis, mirum non est, quod illam corrumpas, et si Latinam Graeca constituas, utramque turpiter depraves.

Verba quaedam magis in usu domestico vitae, quae minus litteris propagantur pronuntiationem vocalis *η* aequalem atque *ι* ostendunt ut *τηθὶς* et *τιτθὶς*. Lex. Bekk. p. 194: *τηθίς· πατρὸς ἢ μητρὸς ἀδελφὴ*. Psellus (ed. Boissonade p. 107): *τιτθὶς δὲ ἡ ἀδελφή ἐστι τοῦ πατρὸς ἢ τῆς μητρός*. Not. Gaulmini ibidem: „Pronuntiatio," ait, „in causa fuit cur *τηθὶς* et *τιτθὶς* confusa fuerint." Rectissime animadvertit. Similia sunt, *λάγηνος, λάγυνος; κίβισις, κίβησις, κίβυσις; τάπητες, δάπιδες; σκέπηνος, σκέπινος; ὀμβρηνὸς, ὀμβρινὸς; πητύα, πυτία; θέμειλον, θέμηλον* etc.

Alium quoddam testimonium pronuntiationis litterae *η* ut *ι* Eustathius ad Iliad. *B*, v. 863 affert, quem bene Minoides Mynas (Calliope p. 144 sqq.) interpretatus est, cujus verba haec sunt: „Sur le mot *ὑσμῖνι*, Eustathe dit qu'il s'écrivait avec *η*, *ὑσμίνῃ*, et par *métaplasme*, ou *transformation* *ὑσμῖνι*: *Ἔστι δὲ μεταπλασμὸς, μετά-*

θεσις καὶ μετασχηματισμὸς λέξεως εἰς ἕτερον συγγενὲς τελικόν. γίνεται δὲ καὶ ἐν ὀνόμασιν, οἷον τῇ ὑσμίνῃ, τῇ Δωδώνῃ, κοινῶς μὲν διὰ τοῦ η τελικοῦ. ποιητικῶς δὲ διὰ τοῦ ι κατὰ μετάπλασιν. τὸ δὲ ὅμοιον καὶ ἐπὶ τοῦ ἀλκί. τὸ γὰρ (Il. *E*, v. 299) — λέων ὡς ἀλκὶ πεποιθὼς — διὰ τοῦ ι γραφὲν μεταπέπλασται. Et en expliquant le mot *μεταπλασμὸς*, il dit: *Οἱ μὲν γὰρ μεταπλασμοὶ ἀπὸ τελικοῦ γίνονται εἰς ὁμοιόπτωτον τελικόν· οἷον τὸ ἀλκὶ ἀπὸ τοῦ η εἰς ι* (v. Il. *Α*, p. 75). Je demande aux savans hellénistes de m'expliquer le mot *ὁμοιόπτωτον*; sans doute il signifie *la même chûte de la voix*, pour les noms *ἀλκῇ, ἀλκὶ* etc."

Hominum sagacissimorum, qui de pronuntiatione litterarum Graecarum locuti sunt, fere omnes balatum ovium et caprarum, quem Graeci litteris imitati erant, testem afferunt. Germanus vir ingeniosissimus nomine Lichtenberg (Götting. Magaz. Jahrg. II) de hoc proposito scripsit. Cujus rei studio flagrans primo legere haec volui, sed cum in omnibus scriptis de pronuntiatione Graeca cum taedio saepissime idem invenerim, omisi. Beza (de German. pronunt. Graec. p. 7): „sed etiam," ait, „ex Cratino *βὴ βὴ* docet ovium esse, id est bê bê non vê vê." Hoc ad illud *β* quoque pertinet, quod ut *b* ritu ovium pronuntiandum docet. Item (p. 68) Johannes Ceratinus: „Idem," ait, „demonstrat verba *μηκάδες* (id est caprae) et *μηκᾶν*, quae vox fictitia imitatur belatum caprarum, nam ut oves bee ita caprae mee potius videntur sonare[1])." Hic ergo *μηκάδας* ut

[1]) Confer idem (auctore Mecerchio p. 59) tum (p. 71 sq. et p. 240 sq.); Thiersch (§ 14, 3), Seyffarth (de sonis liter. Graecar.

Germana capra *meckert*, *μεκάδας* pronuntiandas esse jubet. Oeconomus (p. 700) rectissime Hesychii *μίκλας* (*ἐκ τοῦ μηκῶ, μηκάλη ἢ μηκύλη, Βοιωτικ. μεικύλη, ὡς μεῖλον = μῆλον, συγκοπῇ μείκλη, ει = ι, μίκλη*) confert et facetissime Graecam *μηκάδα* potius aequalem propinquamque sorori *μίκλῃ*, quam Germanae *meckernde*, fuisse disseruit. Confer Bloch (p. 197 sq. et p. 287 sq.). Haec precepta virorum *μη*, *me* vel *mee* esse a verbis Varronis profecta esse videntur[1]) (de re rustic. II, 1): „Ea enim sua voce Graeci appellarunt ut *μῆλα*; nec multo secus nostri ab eadem voce sed ab alia littera *bela* vocarunt. Non enim *mee*[2]) sed *bee* sonare videntur oves, vocem efferentes.“ Confer etiam sententiam Terentiani Mauri (de litt. syll. ped. et metr. v. 450 sqq.) quae, si male interpreteris, pronuntiationem litterae *η* ut longae *e* confirmare videatur. Littera *η* ad *e* Latinam respondere saepe monuimus, sed magnitudine et longitudine tantum, non pronuntiatione; longa *ι* enim est,

---

p. 400), Havercamp (Syllog. I p. 54 sq., II p. 35, 89), Elissen (Verhandl. der 13. deutsch. Philol. Versamml. in Göttingen p. 136), D'Ancillonius (Miscel. Lips. tom. VIII p. 64 sq.), Mullach (Gr. Gram. vulgar. p. 119), Boettiger (Wegweiser im Gebiete der Künste u. Wissenschaft. Ein Wort üb. die Aussprach. d. Altgriech. p. 146).

[1]) Videt: Havercamp Syll. I. p. 67.

[2]) Placentinius (de rect. Graec. sermonis pronunt. p. 127): „Immo La Cerda Vir eruditione Illustris (in Adversariis) satis comprobat, qua ratione hoc vocabulum *μῆλα* olim fuerit pronuntiatum. Etenim ostendit, apud Veteres *milum* nummi genus fuisse, ove signatum, quod ovis Graece *μῆλον* vocatur. Si *milum* tunc temporis per *e* laxum prolatum fuisset, nemo de *milo* unquam somniasset.“

ut docuimus[1]). Hi igitur litteram *η* ut *e* vel *ee* pronuntiari jubent. (Etym. Magn. p. 196): *Βῆ τὸ μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς, οὐχὶ βαὶ λέγοντες, Ἀττικῶς. Κρατῖνος Διονυσαλεξάνδρῳ. Ὁ δ' ἠλίθιος, ὥσπερ πρόβατον, βῆ βῆ λέγων βαδίζει. ῥητορικὴ δὲ ἡ λέξις.* Sic (Eustathius p. 1721, 16 et Suidas). Litteram *β* non ut *b* vel *μπ* pronuntiatam esse[2]) satis constare videtur, nisi imbrem in cribrum gessimus. Illud autem *Ἀττικῶς, βῆ* non *βαὶ*, utrum Cratinus an ovis Atticus dicit? Attici verō homines elegantissimi non *βαὶ*, ut posteriores imitationi propius accessisse videntur, sed *βῆ* dicebant. Tum cum *ἡ λέξις ῥητορικὴ* sit, absurdum et rusticum

[1]) Vide Sextum Empiricum (advers. Gramm. p. 625 ed. Bekk.) et Georgiadem (Tractat. Pronunt. Graec. p. 90 sq.) qui hujus placita recte illustravit; confer etiam rectam interpretationem Liskovii (p. 117 sq.). Locus Sexti de pronuntiatione non agit, duntaxat de quantitate vel de valore *κατὰ δύναμιν*, vocalium *ε* et *η*. Item Martianus Capella de duplici vi, loquitur, nimirum *ε ψιλῷ* et *ε* longo, id est, *η*. Liscovius (p. 125 sq.) „Dieses '*Vis*' ist mit jenem *δύναμις* übereinstimmend und bedeutet, wie jenes, nur die Geltung, nicht die Aussprache.“ Verba Sexti Empirici haec sunt: *Εἰ γὰρ τὸ α κατ' αὐτοὺς ἐκτεινόμενον καὶ συστελλόμενον οὐχ ἕτερόν ἐστι στοιχεῖον ἀλλ' ἓν κοινόν, ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ ι καὶ τὸ υ, ἀκολουθήσει καὶ τὸ ε καὶ τὸ η ἓν στοίχεῖον κατὰ τὴν αὐτὴν δύναμιν εἶναι κοινόν. ἡ γὰρ αὐτὴ δύναμις ἐπ' ἀμφοτέρων ἐστί, καὶ συσταλὲν μὲν τὸ η γίνεται ε, ἐκταθὲν δὲ τὸ ε γίνεται η. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ ο καὶ τὸ ω μία στοιχείου γενήσεται φύσις κοινή, ἐκτάσει καὶ συστολῇ διαφέρουσα, ἐπείπερ τὸ μὲν ω μακρόν ἐστιν ο, τὸ δὲ ο βραχύ ἐστιν ω.*

[2]) Seyffarthus (p. 549): „Si *β* valuisset W Cratinus scripsisset *πη* aut *μβη* vel *μπη*, uti Graeci nunc solent!“ Mirum quantum rudis ridiculusque Cratinus fuisset, si viri doctissimi Seyffarthi consilium secutus esset. De littera *β* vid. supr. p. 57 sqq.

fuisset, si orator elegantissimum tenorem dicendi *μπεὲ μπεὲ* clamando interrupisset. Lingua igitur Graeca suis litteris balatum imitata est et vir Atticus rudem clamorem bestiarum elegantissime humanum reddit. Quibus de rebus disputare me taedet, sin vero plura audire desideres, vide Oeconomi librum (p. 55 sq. et p. 103) et Bloch (p. 144 sqq.). Confer etiam sententiam hominis Graeci Minoidis (Calliope p. 143 sq.), quae tamen falsa et ficta est, quamvis antiquitatem redoleat et perdocta esse velit. Nimirum Cratinum, quippe qui antiquae comoediae poeta esset, *βὲ βὲ* pro *βὴ βὴ* scripsisse docet. Bene quidem, sed illud *ε* pro *η* positum eodem modo ut *η* pronuntiabatur. Tum cum versum *πολυσχηματιστον* esse sciret, ad libidinem poetam *βεὲ βεὲ* scripsisse, pro quo grammaticos et scribas *βῆ βῆ*, cum *εε* in *η* contrahatur, imperitos substituisse, contendit. Cujus viri docti exiles argutias simul cum aliis parentum astutorum Graecae pronuntiationis, quam antiquam et genuinam esse laudant, omittemus.

§ XIV. De diphthongis[1]).

Paucissima, quantum ad pronuntiationem pertinent, in universum dicam. In infantia linguae litterae simplices cum vocales tum consonantes praevalebant, qua progressa breves et longae et duplices et mixtae ortae sunt. Erant igitur illae *α*, *ε*, *ι*, *ο*, cum producuntur, aut geminantur *αα* (*α*), *εε* (*η*), *ιι* (*ι*), *οο* (*ου*, *ω*), aut littera *ι* inseritur *αι*, *ει*, *ι*, *οι*.

---

[1]) *Δίφθογγοι λέγονται, ἐπειδὴ ἐκ δύο φθόγγων συνίστανται· φθόγγοι δὲ καλοῦνται κατὰ μουσικὸν λόγον τὰ γράμματα* (Schol. Dionys. Thrac. Anecd. Bekker. p. 803).

Antiquissimo tempore littera *υ* vice *ι* fungitur, qua *υ* Graeci saepe et multifariam utuntur: ergo *αυ*, *ευ*, *ου* pro *αι*, *ει*, *οι*. Eustathius (p. 722, 58 ad Il. *ϑ*, 448): *οὐ μέντον Ἀργείων καὶ Κρητῶν γλώσσης οἳ πολλάκις ἐξαιροῦντές, φησι, τὸ ι ἐντάττουσι τὸ υ, τὴν εἰς πρόϑεσιν ἐυς λέγοντες καὶ τὸ τιϑεὶς τιϑεὺς — οὐ μέντοι οὐ μέντον καὶ τὸ αἰεὶ αἰὲυ* etc. (Etym. Magn. p. 302, 3; Ahrens de dialect. Doric. § 14). Littera *υ* principalis et *ι* vicaria est, nam consonantibus prisca aetas abundat. Deinde *αυ* pro *αι* tum etiam solum *α*, ut *πάυσα, παῖσα, πᾶσα; τὰυς, ταῖς, τὰς; φαυτὶ, φαισὶ, φασὶ* etc. *Ευ* pro *ει* tum *η* pro *ει*, quae nihil differentes perpetuo variantur, sicut *ι* quoque propter aequalem pronuntiationem, ut *ἐμμὲυ, εἶμεν, ἦμεν; τιϑὲυς, τιϑεὶς; ὑπάρχευ, ὑπάρχειν, ὑπάρχην; πένευς, πένεις, πένης; κτὲυς, κτεὶς; mensis, μεὶς, μὴς; plenus, πλεῖος, πλῆος, πλεῖϑος* (C. Inscr. Nr. 1569. a. III), *πλῆϑος, πλίων* (C. I. Nr. 1569); *αἰὲυ, αἰεὶ, αἰὴ, αἰῒ; ἐυς, εἷς, ἧς; χέλλιοι, χείλιοι, χήλιοι, χίλιοι* (Ahrens de dial. Doric. § 14, § 34 etc.). *Ου* pro *οι*, tum *ου* et *ω*. *Μόυσα, Μοῖσα, Μοῦσα, Μῶσα*; item terminationes *ουσα, οισα, ουσα, ωσα* et *ουσιν, οισιν, ουσιν, ωσιν* et *τὸυς, τοῖς, τοὺς, τὼς* et *τὸυ, τοὶ* etc.

Veteres littera *ι* vocales breves producentes utebantur, e. c. *παρὰ, παραὶ; διὰ, διαὶ; πόα, ποία; χὲρ, χεὶρ, χὴρ; Ἀϑηνάα, Ἀϑηναία; ὁδοπόρος, ὁδοιπόρος* pariter *Ἀργοφόντης, Ἀργοιφόντης* attamen *Ἀργειφόντης* ut *ἀνδρειφόντης* pro *ἀνδροιφόντης* invenitur (Thiersch, G. Gr. § 166). Ergo vocales, potissimum *ι*, in locum consonantium succedunt et littera *ι* ad vocales producendas adhibetur. Nec minus diphthongi *αι, ει, οι*, singulas voces edunt atque *αυ, ευ, ου* et affines *α, η, ου* sive *ω*. Cete-

rum cum brevis vocalis producitur, duae edendae non sunt, sed una et longa. Perinde ac littera *α* adjecta *ι* sonum in *αι* mutat, quae longa *ε* est, ita *ε* in *ει*, quae longa *ι* est. Item *οι* ut *ει*, quae propterea, ut *ἀργειφόντης* et *ἀνδρειφόντης* pro *ἀργοιφόντης* et *ἀνδροιφόντης*, commutantur. Ergo ex brevibus vocalibus *α*, *ε*, *ο* longae, geminatis *αα*, *εε*, *οο*, tum contractis, *α*, *η*, *ου*, natae sunt. Littera *α* sola suum sonum conservat, ceterae autem *ε* et *ο* in longum *ι* transeunt. Sicut *οο* contracta non longum *ο* vel *ω*, sed *ου*, ita *εε* non longum *ε* sed *η* fiunt. Deinde vehementer falluntur, qui *η* longum *ε* esse docent, cum ex litteris *εε* ortum sit. Illud *ω* non ex contractione geminati *ο* sed ex copulatione *οο* natum est. Vocalium igitur *α* sola proprium sonum retinet, nam amplius auditur quam ut prorsus in *ι* transeat, prorsus autem *ε* et *ο* transeunt. Sicut littera *ε* in *η* producitur, ita et *αι* per *η* redditur; tantummodo vice longae *ε* fungitur, sin diphthongus non est sed per diaeresin *α* et *ι*, nullo modo in *η* transire potest, cum *α* praevaleat. Vocales igitur *α* et *ι* contractae aut *αι*, longam *ε*, aut *ᾳ*, longam *α*, faciunt; tum *αι*, cum tantum longa *ε* sit, sicut *ε* tractata in *η* vel *ῃ* abiit. Propterea antiquo tempore Boeoti *η* pro *αι* scribebant (Ahrens d. dial. Aeolic. § 40, 1), quod *η* ut *e* pronuntiatum nunquam est, ut jam diximus, tamen obstinatis et contumacibus Latinorum imitatoribus exemplum antiquum afferam: *Ἀχαιοὶ* Graeci omnes dicunt, Boeoti *Ἀχηοὶ*, Latini eos sequentes *Achivi* id est *ἈχηϜοὶ*; nec *ει* aequa atque *e* est, nam pariter Latini *Argivi* pro *ἈργεῖϜοι* dicunt.

Vocales vero *οο* contractae diphthongum *ου* ut *εε* di-

phthongum *ει* faciunt. Illud *οο* tantum ab *οι* differt quantum *υ* ab *ι*. Diphthongus *οι* vocalibus *υ*, quae per dialectos paulo ab *ου* differt, et *ι* simillima est, ut Latina *oe* illis *u* et *i*, quae et ipsae inter se, e. c. *poena, punio; optumus, optimus; ψοιχή, ψυχή; οἰκία, Fυκία; ποία, πούα; ὕδωρ, οὔδωρ; ὑψηλὸς, ἰψηλὸς; Μοῖσα, Μοῦσα* etc. (Ahrens § 12, 6, § 39, 3, § 40, 4). Propterea cum *ου* et *οι* paululum inter se abhorreant, *ο* et *ει* tum in *ου* tum in *οι* contrahuntur, in *ου* quidem, quum *ο* magis quam *ει*, sed in *οι*, cum minus auditur. Nam *ου* densus et crassus sonus *υ* est, contra *οι* densus et crassus sonus *ι* est. Litterae *ο, ου, οι, υ* affines sunt, ut dialecti eas confundentes docent. Latini vero a Graeca pronuntiatione diphthongi *οι* discrepant, *e* pro *ι* substituta, deinde *oe* non sonum pinguiorem *i* sed *e* edit.

Recentiores Hellenistae pronuntiationem diphthongorum disjunctam fuisse docent, et J. Vossius (de cantu poëmat.) Graecos una voce has pronuntiasse, per adulationem Latinos imitatos[1]), docet. Quae sententia ex ipsius mente nata est, haud indecora aut abjecta prae illis opinionibus parentum Germanae pronuntiationis linguae Graecae, quibus nunc viri summa doctrina eminentes quasi infantes obediunt. Graecos timidos Roma-

[1]) Neidlinger (Ideen über Erasm. Ausspr. p. 49 sq.): „Kein einziger Sprachforscher hat bis auf den heutigen Tag dieses Factum in einem Klassiker gefunden." Bene judicavit vir doctus Elissen: „ich erwähne als ein Beispiel mehr, zu welchen maaslosen Absurditäten die älteren Erasmianer durch ihren Feuereifer sich hinreifsen liefsen" (Verhandl. der XIII. Versamml. Deutscher Philologen in Göttingen p. 116).

nos potentia superiores adulatos et imitatos esse verum quidem est, sed Romanos Graecos litteris superiores adulatos et imitatos non minus verum est. Vossius vir Germanus ex sua gente Graecam, ut fieri solet, dijudicat, nam Germani litteris pristino tempore Francogallos tum Anglos tum Latinos tum Graecos omnino imitabantur. Ridiculum est, litteras *η, ω, ου,* quae duplices, quamquam per duas litteras non scribuntur, singulis vocibus, et *ει, οι, αι* binis proferri. Si antiquissimo tempore diphthongi disjuncte pronuntiatae sint, tempore quo litterae et artes Graecae florebant, pariter eas pronuntiatas esse necesse non est. Itaque rectissime vir prudentissimus Bloch libro laudato (p. 54) obtupefactus interrogat. „Warum, da man doch die gebildete Aussprache nur sucht, auf Zeiten zurückgehen, die die schönste Zeit übersteigen?“ Si antiquo tempore *σδ* pro *ζ* dixeris, num Attico illo quoque *ζ* non pura voce sed disjuncte *σ* et *δ* dicas? An vero ab Atheniensibus elegantissimis ineptum scholasticum irrideri nefas erit? Si diphthongos Graeci disjuncte enuntiabant, quid contractiones et crases et aphaereses et syncopae possunt? Si Graeci *εες* et in *εις* et in *ης* contrahebant, cur non eodem modo *η* et *ει* sed *ει* tantum dissolute, porro *εϊ* in *ει* contractum, cur iterum pari modo per diaeresin nullo discrimine duobus sonis pronunties? Cur *α* et *οι* contractas in *ῳ* una voce longa *o*, sed *ε* et *οι* in *οι* duabus, *o* et *ι* proferas? Cur, *o* et *ει* in *ου* et in *οι* contractis, *ου* quidem uno tenore sed *οι* aliter? Nonne ridiculum est, quod *καὶ εἶτα, κᾆτα* (*kāta*) dicas sed *τὸ ἱμάτιον, θοιμάτιον,* quasi nulla crasis fuisset, *o* et *ι* proferas ac si *τὸ ἱμάτιον* scriptum esset? Cur

crasis dicitur, si soni non miscentur? Quis gentium vino aqua temperato et vinum et aquam singula gustans bibit? Illi quoque κυκεῶνες Graecorum, vino, aqua, farina, caseo, melle aliisque apparati unum gustum praebebant; item et vocales et diphthongi mixti unum longum sonum edunt et diversum quidem, aequaliter ut ex variis coloribus color quidam diversus gignitur. Lingua Graeca cum vocalibus maxime affluat, contractionibus, quae linguam rotundant et quadrant abundat, nec solum breves vocales sed longae et diphthongi confundebantur ut κῷνος, ἐγῷδα, τἀνδρὸς, κᾆτα pro καὶ οἶνος, ἐγὼ οἶδα, τοῦ ἀνδρὸς, καὶ εἶτα etc. Qua re novi soni, qui una proferebantur voce, gignebantur, non duplici, quod non modo Atticum sed ne Graecum quidem est. Principio, quo contractiones et crases rarae erant, atttractionibus saepissime, ut Homerus, utebantur. Athenienses autem, quos Gregorius Corinthius (ed. Schaefer p. 168) contractionibus semper fastiodissime usas esse docet, καὶ ταῖς συναλοιφαῖς ἀεὶ κατακόρως χρῶνται, hiatum collisione vocalium omni modo evitabant adeo ut, qui moleste diphthongos dissolveret, rusticus jure haberetur.

Athenienses diphthongos disjuncte non proferebant, ut posthac singilatim demonstrabimus. Si quas Aeoles et Iones aliquo tempore sic pronuntiabant, hae aut diphthongi re vera non erant, aut poetica licentia numerorum gratia disjugebantur. Exempli causa Homerus easdem diphthongos iisdem in vocabulis tum disjungit tum conjungit; cum formae conjunctae frequentiores dissolutis sint, exceptiones regulam facere non possunt, et cum Grammatici certas diphthongos Aeolibus dissolutas tribuant, inde

diphthongos ceteri Graeci una voce protulisse, sequitur. Cum Sappho et Homerus *πάϊς* dicerent, pari modo loquimur, sed proinde in ceteris scriptis *πάϊς* per diaeresin pro *παῖς*, et ubicumque diphthongum *αι* invenimus sic pronuntiare, ineptum est. Nam lingua Pelasgica et poetica et prosa differunt. Non minus absurdum esset, si, quia Latini *puer* pro *πάϊς* dicunt, *αι* ut *ue* pronuntiaremus. Linguam igitur Graecam, non ut Latini nec ut Germani sed ut Graeci loquebantur, exploramus, nam Germani quoque minime curant, si nos vocabulis ipsorum linguae pro nostra indole utimur. Diphthongos ergo uno sono proferemus, certis quibusdam exceptis, quae dissolute pronuntiatae esse traduntur. Sunt quae antiquissimo tempore digammo inserto dissolutae erant, ut *ὄϜις, ὄϊς, ovis,* inde autem inter omnes diphthongos digamma fuisse necesse non est. Ac si re vera esset, cum tempore Attico non fuerit, eas dissolvere absurdum est. Apud Homerum digamma nonnullis locis facile apparet. Qua re carmina Homerica, quorum manuscripti ne ullum quidem digamma praebent, nunc immensa copia abundant, et illud digamma quasi deus ex machina, ubi mens sana non sufficit, adhibetur. Scriptores praestantissimos, Hermannum, Heyne, Dawesium ejusque libri (Miscellanea critica) Harles et Th. Burgess editores, Bentlejum, Knight, qui de hac re disputaverunt, et Bekkerum ingeniosissimum, qui maxime Homerum multis millibus digammorum oneravit, praetermitto. Supra (§ VIII), digamma ut *β, v, γ* pronuntiatum esse, fuse disputavimus. Ergo, si digamma scribimus, pronuntiandum est. Sin carmina pro editione doctissimi Bekkeri

recitamus, nemo est, qui haec lingua Graeca scripta esse agnoscat. Fortasse, ut fieri solet, si quaererem, quae lingua gentium esset, Graecam antiquam responsum ferrem, et viri sapientes me irridirent, quod novam tantum linguam Graeculorum nossem. Profecto poesis Homerica omnibus hominibus omnis aetatis argutiarum uberrimam copiam praebebat. Etiamsi antiquissimam esse contendunt, elegantiorem carminibus Pindaricis esse volunt et hiatum, ubi invenitur, illo mirabili digammo tollunt. Antiqui tamen Graeci absolutam et perfectam nobis illam tradiderunt, quam, cum jam mutandum nihil sit, rursus dissolvimus et dissecamus labori progeniei providentes. Repeto igitur, quod supra dixi: si digamma inducemus, pronuntiatum esse necesse est, nam litterae Graecae sicut Latinae nec notae hieroglyphicae neque Arabici numeri sunt. Quodsi digamma ut β, υ, γ, pronunties, linguam depravabis, si pro spiritu aspero quodammodo habeas, falsum est, nam digamma positionem syllabae facit. Veteres Homericam poësin sine hoc monstruoso digammo legerunt, cur autem nos etiam plura ignorantes hanc turpissime depravamus? Quis antiquorum hominum nos tale digamma tradit? Cur grammatici Alexandrini nobis doctiores et peritiores illud non adscripserunt? Unde nisi ex antiquis monumentis et grammaticis doctrinam digammi accepimus? Quam si ex nostro ingenio hausimus, nostra profecto nec antiqua est. Qua in re cautius et prudentius Thiersch (Gr. Gramm.) et Boeckh (de metr. Pindar, et Corp. Inscript.) egerunt. Ubi igitur digamma traditur et ubi esse apparet, scribamus et pronuntiemus, sed ubi docu-

mentis caremus et ubi pronuntiari nequit, praetermittamus; nam nullam litteram ornamenti causa antiqui adhibent.

Apud grammaticos diphthongus longa syllaba est, quae brevibus vocalibus opponitur, quae sit non indicato, nam ab antecedentibus vocalibus patet, ut *Ἑρμέου* et *Ἑρμαίου δίφθογγον* i. e. *αι*, *γράφω*. *Ἀμπέλειος βότρυς, δίφθογγον* i. e. *ει*, *Ἀμπέλιος δὲ ὄνομα διὰ τοῦ ι*. *Ἀκαρῆ, ἀκαρὶ, ἐν ἀκαρεῖ, η, ι, δίφθογγον* etc. vide Schaefer (ad Gregor. Corinth. p. 34*). Grammatici igitur diphthongum syllabam longam, quae, quamquam duabus vocibus vel litteris constat, tamen uno sono pronuntietur[1]), docent. Id quod antiquissimis scriptis, quibus simplices vocales pro diphthongis velut *ε* et *ο* pro *ει* et *ου* inveniuntur, verbisque Galeni (Comment. in Hippocr. Epidem. II, 41) patet: *Γραφόντων γὰρ τῶν παλαιῶν τὴν τοῦ ε δίφθογγον καὶ τὴν τοῦ η δι' ἑνὸς χαρακτῆρος, ὃς νῦν μόνον σημαίνει τὸν ἕτερον φθόγγον τοῦ ε*, id est, diphthongus *ε*, nimirum *ει* vel *η*, cujus vice antiquiore aetate *ε* fungebatur, ut *ι* (vid. p. 81 sq.) pronuntianda est.

Diphthongi in quatuor genera secundum sententias

[1]) Rudolphus Wettstenius (Orat. Apologetic. pronunt. ling. Graec. p. 79) Terentiani grammatici verba confert:

„Et sonos utrosque iungit. Unde diphthongos eas
Graeciae dicunt magistri: quod duae junctae simul
Syllabam sonant in unam, vique gemina praeditae
Semper effectum duorum temporum custodiunt";

et ardens contra Erasmianos haec ait „Audin' sonum utrumque? audin' vim geminam et effectum duorum temporum? cur igitur altera vocalis prorsus tollitur atque absorbetur? Audio haec omnia, neque tamen Graecos errare existimo."

grammaticorum, quamquam in singulis discrepant, distribuendae sunt[1]). *Δίφθογγοι κατὰ κρᾶσιν* (*αι, ου*), *κατ' ἐπικράτειαν* (*ει, οι*), *κατὰ διέξοδον* vel *κατὰ συμπλοκὴν* (*αυ, ευ*), denique *καταχρηστικαὶ* (*ᾳ, ῃ, ῳ, υι*).

§ XV. De diphthongo *ει*.

Diphthongum *ει* una voce, ut longam *ι* pronuntiandam, de littera *η* et de diphthongis disserentes jam diximus. Qua re verba Prisciani et Quintiliani ceterorumque grammaticorum, qui diphthongum *ει* aequalem *ι* esse docent, repeti necesse non est. Sic Victorius (de orthograph. p. 96): „*ε* et *ο* ternas habuerunt apud Graecos potestates, ut *ε* esset et breve et productum, et *ι* longum quoddammodo sonaret, cum *ε* et *ι* junctum esset" etc.

Diphthongo *ει* antiquo tempore Latinos usos esse, monumenta plurima antiquitatis monent, fac modo ut oculos ad corpus inscriptionum Romanarum editum ab insignibus in Latinis litteris Ritschelio et Mommsen convertas[2]). Primum simplicitati studentes, pro antiqua diphthongo *ei*, quia ut longa *i* pronuntiabatur, eandem *i* substituerunt, tum linguae grave *e* pro *i* accommodaverunt. Graeci diphthongum *ει* retinuerunt, cum formae simpliciores redditae linguam nec aptam nec idoneam ad se recreandam et instaurandam esse scirent. Itaque

---

[1]) Vide Liskovius über die Aussprache d. Griech. p. 24 sqq. Confer Oeconomus (*περ. γνησ. Ἑλλην. προφορ. σελ.* 193—245), Minoides Mynas (Calliope p. 70 sqq.), Georgiades (de Element. Graecor. pront. p. 102 sqq.), Anecdot. Bekker. p. 803 sq. et 1214.

[2]) Vide Ritschel (Rhein. Mus. VIII p. 479 sqq.) et Corssen (Aussprach. der lat. Sprach. p. 208 sqq.).

Graeci, et ratione et arte linguae, vocalibus redundantibus, in quibus ipsa spirat et subinde nascitur, vim et vigorem tribuerunt. Nigidius ergo aequalis Ciceronis Latino ingenio et more Graecis, quod sine causa *ε* et *ι* pro producta *ι* scribant, objicit, nam si litteris *o* et *υ* pro *u* utantur, est quod littera *u* egeant. A. Gellius (Noct. Attic. XVIIII. 8): „Illud enim," ait, „inopia fecerunt" id est *ου* ex *o* et *υ*; „hoc nulla re subacti[1])," i. e. *ει* pro longa *ι*. Diphthongus *ει* a Graecis Latinisque ut longa *ι* pronuntiabatur; qui hanc ut *εϊ* per diaeresin aut ut sonum quendam medium inter *ε* et *ι* auditam esse putant, falluntur, nam inscriptiones innumerabiles, quas viri doctissimi afferunt, cum *i* et *e* et *ei* invicem mutata habeant, *ei* ut *i* vel *e* pronuntiatam esse docent; et grammatici laudati (p. 87 sq.) hoc ipsum, eos *i* productum pro *ei* more antiquo, tum *e* scripsisse, tradunt. Et Lucilius, qui inscriptiones et suam linguam non minus viris praestantissimis nostrae aetatis noverit, litteram *ι* longiorem et pleniorem adjecta *E* fieri docet (Vel. Long. p. 2220): „adde *E*, ut pinguis fiat." Si igitur *ει* pro *ι* invenitur,

---

[1]) Idem Terentianus (Liscovius p. 96) dicit:

„*ε* deinde *ἰῶτα*, Graeca quod diphthongus *ει* sonat,
Non erit semper necesse copulatas scribere,
Seu Latina seu jugetur Graeca longa syllaba,
'Ιῶτα solum quod videmus saepe produci vel *ι*."

Liscovius bene interpretatur: „Diese Stelle lehrt, 1. ausdrücklich, dafs 'der griechische Diphthong *ει* wie Iota lautet', denn jenes 'quod' weist auf '*'Ιῶτα*' zurück; 2. dafs das *E* in diesem Diphthongen nur zur Verlängerung des Iota hinzugeschrieben wird, denn bei einem an sich langen Iota ist das Hinzuschreiben des *E* unnöthig."

forma antiquior est, postea Latini *i* in *e* convertentes sonum *e* excoluerunt, et sicut diphthongi ceterae *αι*, *οι* in *ae*, *oe* mutatae sunt, pari modo *ει* ut *e* auditur, quasi *ee* scriptum sit.

Quod ad Graecos pertinet, *ει* semper longa *ι* fuerat et est. Boeckhius antiquitatis peritissimus (Soph. Antig. p. 255) haec dicit: „Dies lange *ι* und *ει* ist nur orthographisch verschieden[1]), und *ὑπαίθρειος* kann neben *ὑπαίθριος* so gut bestehen, als *ἵππειος, ποτάμειος, Ἐφέσειος* neben *ἵππιος, ποτάμιος, Ἐφέσιος* u. dergl.“ Talia sunt *νεῖκος, νίκη; Στρατόνεικος, Στρατόνικος; φιλόνεικος, φιλόνικος* etc. Giese (Aeolisch. Dialect. p. 11) *ει* productam *ι* fuisse rectissime probat, cujus verba haec sunt: „z. B. bei *δείκνυμι* die Verkürzung von dem ursprünglichen *ι* zu *ει* zeitig eintrat und wir eigentlich von einer Wurzel *δεικ* nicht von *ΔΙΚ* ausgehen müfsten.“ Pariter *κτείνω, κτίννυμι* etc. Idem (p. 36): „Da die

[1]) Sextus Empiricus (advers. Mathemathic. ed. Bekker p. 638, 18) *τὴν γὰρ ὀρθογραφίαν, — ποσότητι μὲν οὖν, ὅταν ζητῶμεν εἰ ταῖς δοτικαῖς προσθετέον το ι, καὶ εὐχάλινον καὶ εὐώδινας τῷ ι μόνον γραπτέον ἢ τῇ ει.* Littera *ι* et diphthongus *ει* tantum ratione orthographica diversae sunt. Confer Neidinger, Ideen über Erasm. Aussprach. p. 37 sq. et *Κοραῆς Προλεγ.* 237 sqq. Joh. Rudolfi Wettstenii Oration. Apologetic. Pronunt. Graec. p. 41; Seyffarthus (p. 483) qui Terentiani verba tradit, velut

„— *Νίκος*, Iota solum sufficit,
Quia nulla praecedens origo subesse monstrat *ι*.
Porro diphthongum notamus, quando *νείκειν* scribimus.“

Liscovius (p. 66 sq.) (Anecdot. Graec. ed. Bekk. Vol. III p. 1127): *ποσότης ἐστὶν ὅταν ζητῶμεν ἐν τῷ μῖμος πόσα στοιχεῖά ἐστι, μι ἢ μει.* Liscovius (p. 103 sq.).

Laute *ει* und langes *ι* wegen ihrer fast ganz gleichen Aussprache häufig verwechselt wurden, so entstand leicht Streit über die Orthographie der Wörter.“ (Anmerk.): „Hierauf beruht die schon v. Ch. häufig angewandte Schreibart *ει* statt langes *ι* auf Inschriften[1]) etc.“ Ahrens (de dial. Dor. § 22) multa exempla inscriptionum commutatae *ι* et *ει* profert. Oekonomus (p. 291—293 tum 271—276 et p. 283) commutationem *ει* et *ι* propter eandem pronuntiationem in titulis et codicibus et scriptoribus cujusque aetatis diligentissime ostendit. Iterum Ahrens (Aeolisch. Dialect. § 15, 4): „Longum *ι* et *ει*,“ ait, „in nonnullis vocibus jam apud antiquiores Graecos permutantur, quo pertinet *εἴκοσι*, quod legitur etiam in Lesb. 2166 pro antiquiore *Fικάτι*; et duplex forma *Ποσείδαν* et *Ποτίδαν* (vid. § 23). — In recentioribus titulis saepe, ut aetas fert, *ει* pro *ι* scribitur, *τείμα, κατείρωσις, πολείταις* etc.“ (Vid. Georgiades Tractat. de pronunt. Graec. p. 142 et Minoides Calliope p. 117). Bastius (Schaefer ad Gregor. Corinth. p. 720) in commentatione palaeographica haec dicit: „Pro littera *ι* in codicibus passim legitur diphthongus *ει*: cujus rei causa esse potest pronuntiatio Graeca *ει*, *η*, *ι*, *οι* et *υ* eodem sono efferentium. Sed de hac causa nunc non loquor: hoc volo in vetustis codicibus, qualis est Cod. Palat. 398

[1]) *Γυμνασειαρχήσας* pro *γυμνασιαρχήσας* (C. I. n. 254), *Τεισάμενος* pro *Τισάμενος* (C. I. n. 292), *Τεισάνωρ* pro *Τισάνωρ* (C. I. 2448) et *Τεισικλῆς* (172) et *Τεισικράτεια* (172), *Τεισιχάρης* (2469 *b*), *Ἁρμόνεικος* (1249) pro *Ἁρμόνικος* (1260), *Εἰσαγόρας* pro *Ἰσαγόρας* (1787), *Εἰσιὰς* pro *Ἰσιὰς* (789), confer etiam (186, 266, 268, 286, 1184), *Εἰκαριεὺς* pro *Ἰκαριεὺς* (117) etc.

μηνείει dat. pro *μηνίει* — eodem modo in Titulis (v. Gregor. p. 211) aliisque Monumentis legitur *TEIMH* pro *Τιμή*. Confer inprimis, quae vir praestantissimus Coray, praefat. ad Isocrat. pag. 92 sqq. de scriptura *EICOKPATHC* pro *ICOKPATHC* monuit.“ (Vid. Henr. Stephan. in Cicer. Castig. p. 105). Pariter Boeotos *ι* pro *ει* grammatici et Monumenta scripsisse docent (Ahrens Aeol. Dialect. § 40, 3). Ex his documentis virorum peritissimorum pronuntiatio diphthongi *ει* ut longae *ι* clare patet, ut placita grammaticorum Graecorum[1]), qui omnibus partibus assentiunt, praetermittam.

Litterae *ε* et *ι* productae *ει* vel *η* fiunt, quae ut longa *ι* pronuntiantur[2]). Cujus rei pauca exempla af-

[1]) Vide Basilius Magnus, Erotemata gramm. Vol. III p. 595 et p. 606, et Liscovius p. 101 sq. ubi *ιος* et *ειος*, *ιστος* et *ειστος* et *ηστος* *ιζω* et *ειζω* et *ηζω* aequaliter sonant. Suidas (Liscovius p. 105), Hesychius (Liscov. p. 100). Confer etiam Télfy (p. 98) et Johan. Rodolfi Wetstenii (Orat. Apolog. p. 169 sqq.), Stanislaus (p. 108 sqq.).

[2]) Vir doctus Télfy, qui nostram pronuntiationem defendit, et quamquam ingenii et naturae linguae Graecae non ignarus, frequenter pravas conjecturas proponit, ut (p. 95): „Wir halten es für mehr als wahrscheinlich, daſs es (*ει*) im homerischen Zeitalter wie ē gelautet habe, weil in den homerischen Versen aus dem *ε*, wenn es lang werden soll, ein *ει*, und aus diesem, wenn es kurz werden soll, ein *ε* wird.“ Sed semper *ε* productum, *ι* longum est (Mullach p. 124) nihiloque minus si *ι* adscribitur, ut *ὑπεὶρ* ex *ὑπὲρ*. Ac sententiam Hermogenis (Rhetor. Graeci ed. Walz III p. 225 et ed. Spengel II p. 291) una cum Henrichsen male interpretatus est (p. 100): *Δεύτεραι δὲ σεμνότητος λέξεις καὶ αἱ διὰ του ο στοιχείου κατὰ μόνας εἰς τι μακρὸν καταλήγουσαι, οἷον, Ὀρόντης, καὶ αἱ ταῖς μακραῖς τε καὶ διφθόγγοις πλεονάζουσαι, καὶ*

fero, *ἀείρω μετηόρος, μετέωρος; ἀλγηδὼν, ἀλγεινὸς, ἀλγίων; πλῆθος, πλεῖθος, πλέος, πίμπλημι* etc. Cum *η* et *ει* aequum sonum edant, veteres verba aequivoca finxerunt. (Aristotel. Rhetor. *Γ*, 11. 25): *Τὸ Θεοδώρου εἰς Νίκωνα τὸν κιθαρῳδὸν „θράττει σε“ προσποιεῖται γὰρ λέγειν τὸ „θράττει σε“ καὶ ἐξαπατᾶ· ἄλλο γὰρ λέγει· διὸ μαθόντι ἡδὺ, ἐπεὶ εἰ μὴ ὑπολαμβάνει Θρᾷκα εἶναι, οὐ δόξει ἀστεῖον εἶναι* id est *Θρᾴττη σε* scilicet *ἐγέννησε, διὰ τὸν Νίκωνα Θρᾷκα εἶναι.* (Aristoph. Vesp. 753)

Εἵλη κάτ᾽ ὄρθρον ἡλιάσει πρὸς ἥλιον.

Ejusmodi proverbium quoque est, *ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία,* fervet olla, vivit amicitia (Beza p. 211). Confer Minoides Mynas (Calliope p. 149), qui Suidae verba tradit, *ζῇ ἀντὶ τοῦ ζῆθι Εὐριπίδης, καὶ ἀντὶ τοῦ ζέει,* et bene „il entend le même son pour *ζῇ* et *ζεῖ*“ animadvertit. Sic (Hom. Il. *Α*, v. 406) *ὑπέδδεισαν — οὐδέ τ᾽ ἔδησαν.*

αἱ τὰ τελευταῖα ἐν ταύταις ἔχουσαι, πλὴν τῆς ει διφθόγγου· καὶ εἰ καθ᾽ αὐτὸ δὲ τὸ ι τιθοῖτο, ἥκιστα σεμνὴν ποιεῖ τὴν λέξιν πλεονάσαν· συστέλλει γὰρ μᾶλλον καὶ σεσηρέναι ποιεῖ, διογκοῖ δὲ οὐδαμῶς τὸ στόμα. Diphthongus *ει* et vocalis *ι* graves non sunt, et minus quidem *ι*, quia magis quam *ει συστέλλει καὶ σεσηρέναι ποιεῖ.* Igitur *ει* et *ι* diversae non sunt, sed eaedem; *ι* quidem tenuior et exilior quam *ει*, quod *ι* longa est. (Vide Rudolph. Wettstenii Oration. Apologetic. p. 81 sq.). Liscovius (p. 75): „Unterschieden werden sie (*ει* et *ι*), indem es heifst, das *ι* für sich allein (*εἰ καθ᾽ αὐτὸ τιθοῖτο*) sei am wenigsten, also noch weniger, als das *ει*, zur erhabenen Rede tauglich.“ Sane quidem, *ι* per se i. e. *ι* breve et solum non longum nec mixtum vocali *ε*. Diphthongus *ει* ut longum *ι* non ut Liscovius (p. 66) sicut *ε*-*ι* pronuntiatum est. Hunc locum male interpretatus est etiam Mecerchus (Haverc. Syllog. I p. 145 sq.).

Diphthongus *ει*, ut jam dixi, ad *ι* respondet, ut *ἐρειφθεὶς, ἐριπεὶς; εἶδον, ἴδον; εἰλαδὸν, ἰλαδὸν* (vide Eustath. ad Il. *B*, v. 93); *ξένειον, ξενήϊον, ξένιον; ἀρείων, ἄριστος; μείζων, μέγιστος; Θάλεια, Θάλια* (vid. Schaefer ad Gregor. p. 34*); *λείπω, λιμπάνω; εἴκω, ἴσκω; λείχω, λιχμάω, lingere, λελείχμοτες* (Hesiod. Theogon. v. 826); *γλεῖνος, γλῖνος; Σειληνὸς* (Aelian. V. H. lib. III. c. XVIII. p. 180 ed. C. G. Kuehn), *Σιληνὸς* (id. p. 183). (Etym. Magn. p. 710) *Σειληνὸς* et *Σιλληνὸς διὰ δύο λλ καὶ διὰ τοῦ ι*. Etym. Gudian. *Σειλινός*. *Φειδὸς* et *φιδὸς* (Callimach. fragm. p. 460 ed. Meineke.) *Μουσέων δ' οὐ μάλα φιδὸς ἐγώ; φειδίτια* et *φιδίτια*; ex *ἐν, εἰν, ἰν* (Hesych.) Latini *in*, et *Ἴναχος* pro *Εἴναχος*, (Meinekius Callimach. p. 250) *ἄχα* i. q. *aqua*, igitur *Εἴναχος* vel *Ἴναχος* i. e. *ἔνυδρος, aqua abundans*, significat; *στείβω, στίβω; εἶσος, ἴσος; εἶδος, ἰδέα; εἷμα, ἱμάτιον; λείχω, λιχανὸς; οἰκτείρω, οἰκτιρμὸς; λεῖψις, λίψανον; πείθω, πιθέω, πιθανὸς; πειστικὸν, πίστις*; Plato (Georgias p. 493) facetissime *πίθος* confert, qui illud animae, in quo voluptates et libidines *ἐπιθυμίαι* sedent, *τὸ πιθανὸν καὶ πειστικὸν* significat; *λείριον, λίριον, lilium* etc. Item terminationes adverbiorum tum in *ει* tum in *ι*, ut *ἀκλαυστεὶ* et *ἀκλαυστὶ, ἀσκαρδαμυκτεὶ* et *ἀσκαρδαμυκτὶ; πανσυδίῃ, πανσυδεὶ, πανσυδὶ; ἀναιμωτὶ* et *ἀναιμωτεὶ*; (Hermann. ad Viger. Cap. VII. Sect. I. regul. III. IV). Pariter diphthongus *ει* in *ι* brevem transiit et eadem littera *ι* sequente omittitur, ut *ἀείρω, αἴρω; ἀεικὴς, αἰκία; ἐδεδίειμεν, ἐδέδιμεν* (Buttmann. Gr. Gramm. § 110, 11); *ὑγιεία, ὑγία* etc.

Plato (Cratyl. p. 402 *C*): *Ποσειδῶνα ὡς ποσιδέσμιον ὄντα· τὸ δὲ εἶ ἔγκειται ἴσως εὐπρεπείας ἕνεκα.*

Quem locum, supra p. 98 sq., jam tractavimus. Cum littera *ι* et diphthongus *ει* aequo modo a Platone ejusque aequalibus pronuntiarentur, hic litteram *ε* inopportunam ornatus causa fortasse appositam esse dicit[1]). (Plat. Cratyl. p. 426 *C*): *κίνησις* et *κιείνησις*; (p. 404 *B*) *Ἅιδης — πολλοῦ δεῖ ἀπὸ τοῦ ἀειδοῦς ἐπωνομάσθαι, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ τὰ πάντα καλὰ ἀεὶ εἰδέναι.* — (Id. p. 409): *Ἥλιος — ἅλιον οἱ Δωριεῖς — περὶ τὴν γῆν ἀεὶ εἱλεῖν ἰὼν* quasi *ἀειειλίος* vel *ἀείλιος* sive *ἀήλιος* esset, nam ex Dorico *ἅλιος* litteram *α* solam sumpsit, cetera ad *ἥλιον* respondent; duplices diphthongi *ειει* i. q. *η* et *ει* i. q. *ι* sunt. Sic (p. 406) *πολλοί γε Ληθὼ καλοῦσιν· ἔοικεν οὖν — Λειηθὼ κεκλῆσθαι,* ubi nihil Plato, cum *η* et *ει* longae tantum *ι* sint, animadvertit. (Id. p. 408 *B*): *Ἶρις ἀπὸ τοῦ εἴρειν* et *ἥρωες* pariter *ἀπὸ τοῦ εἴρειν* (p. 398 *D*), quia igitur *ει* ut longa *ι* pronuntiabatur, Plato rectissime *Ἶριν* et *εἴρειν*[2]) comparat.

---

[1]) Liscovius (Aussprach. d. Griech. p. 65 sq.) male interpretatus est; *ει* nihil nisi *ι* plenum q. e. *ε-ι*, esse docet.

[2]) Boeckh (Seeurkunden p. 317, 65. IV) No. IV Col. *b.* 65 *ΕΙΡΙΝ* et Col. *c.* 5 *ΕΡΙΔΙ.* „In der Abschrift stehet *ΕΙΡΙΝ*, welches statt *Ἶριν* sein könnte, wie *Ἐλιεαῖος* statt *Ἰτεαῖος*, häufig schon in unseren Inschriften. Col. *c.* zu Anfange stehet aber *Ἔριδι*, wonach ich mich gerichtet habe.“ Littera *ε* pro *ει* et *η* Athenienses scribebant, itaque cum *ει* et *η* ut *ι* longae quidem proferrentur, scriba litteras nonnunquam permutabat, Corp. Inscript. I. p. 233, *Πεντελειχοὶ* et *σύμμειχτα* pro *Πεντελιχοὶ* et *σύμμιχτα* et alia quae Oeconomus (p. 735 sq.) congessit, ut *Ἐλευσεινι* et *Ἐλεύσιναδε*, *φιλάειδα* pro *φιλάϊδα*, *Ποτειδαία Ποτιδαία*, *Ἀίσιτοι* pro *Ἀείσιτοι.* Bloch (p. 199 sq.) alia ex Sylloge Inscriptionum antiquarum Osann, ut *ἐτείμησεν*, *Ἀφροδείτη*, *Τειμόθεος*, *Βειθυνὶς* etc. et *ι* pro *ει* ut *κίμενας*, *ἀπέχι*, *πλιόνα* etc. Vide Télfy (p. 98);

Aristophanes sollertissimus poeta politissima exempla nobis praebet (Acharn. v. 751 sqq.). Dicaeopolis, *πῶς ἔχετε;* Megarenses, *διαπεινᾶμες ἀεὶ ποττὸ πῦρ.* Dicaeopol. *Ἀλλ' ἡδύ τοι, νὴ τὸν Δί' ἢν αὐλὸς παρῇ.* Schol. v. 751, rectissime explicat, *διαπεινᾶμες: πίνομεν ὤφειλεν εἰπεῖν, πρὸς τὸ πῦρ καθήμενοι· χειμῶνος γὰρ οἱ πότοι πρὸς τὸ πῦρ γίνονται, ὁ δὲ πεινῶμεν εἶπεν διὰ τὸν λιμόν.* Schol. v. 752, *ὡς ἐπὶ πινόντων καὶ ἀκουόντων αὐλῶν· ὅτι τὸ πῦρ εὐωχίας σημαντικόν· ὥστε ἡδὺ ἦν καθῆσθαι μετὰ αὐλῶν.* Aristophanes eleganter *διαπεινᾶμεν* i. q. *διαπεινῶμεν* et *διαπίνομεν* jocatur. Est vero id quod Aristoteles (Rhetor. III, 11, 25) *ἐξαπατᾷ, ἄλλο γὰρ λέγει διὸ μαθόντι ἡδὺ* dicit. Ceterum (Equit. v. 1033) *ἐσφοιτῶν τ' ἐς τοὐπτάνιον.* Scholiasta bene, *ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τὸ πρυτανεῖον εἰπεῖν.* Ejusmodi illud quoque Diogenis philosophi cynici (Diog. Laert. vita Diogen. lib. VI. cap. II. VI) *ἰδὼν μειρακύλλιον ἱματιοκλέπτην ἐν τῷ βαλανείῳ, ἔφη, ἐπ' ἀλειμμάτιον ἢ ἄλλο ἱμάτιον.* Huc etiam apophthegma, *Δολερὰ μὲν τὰ εἵματα, δολερὰ δὲ τὰ χρίματα,* pertinet. (Clemens. Alex. Strom. I. p. 294 ed. Sylb. Mueller Dorier II. p. 265).

Aliud exemplum est notissimum epigramma Callimachi[1]) (ed. Meineke XXVIII, v. 5):

Neidinger (p. 37), Aug. Wannowski (Antiq. Roman. e graecis fontibus explicatis p. 31 sqq.), Liscovius (p. 69—109), qui multa exempla adhibent.

[1]) Buttmannus (Gr. Gramm. § 5, Anm. 7****) hoc Callimachi testimonium aspernatur, et Thiersch (Gr. Gr. § 16, 2). Latina exempla *e* et *ι* pro *ει* praefert, quamquam posteriora. Sed eorum sententias ut plurimas aliorum praviores tacitus praetermitto,

Λυσανίη, σὺ δὲ ναίχι καλὸς, καλὸς ἀλλὰ πρὶν εἰπεῖν ὧδε σαφῶς; ἠχὼ φησί τις ἄλλος ἔχει.

Athenaeus (p. 585 *E.*): *Θαῒς πρὸς γράσωνα πορευομένη ἐραστὴν, ἐπεί τις αὐτὴν ἠρώτα ποῖ πορεύεται, εἶπεν,*

Αἰγεῖ συνοικήσουσα τῷ Πανδίονος.

Quod amator caprum olebat, illa versum Euripideum urbane adhibuit, nam *Αἰγεῖ* et *Αἰγὶ* pronuntiatione[1]) congruunt. Hoc sensu illud dixit, quasi scriptum esset *Αἰγὶ συνοικήσουσα* etc. Eodem modo Cicero vocabulum *bini* litteris Graecis *Βίνει* prolatum, ambigua et obscoena notione imperativi *βίνει* verbi *βινεῖν*, commemorat (Fam. IX, XII): „Quum," ait, „loquimur terni nihil flagitii dicimus: at quum bini obscoenum est. Graecis quidem, inquies." — Planudes in vita Aesopi hujus annominationem[2]) affert, qua *ει* etiam cum littera *υ*, cum *ει* ut *ι* audiretur, congruit, nimirum, *τὶ σείει ὁ κύων* dictum est pro *τὶς σὺ εἶ ὦ κύον*. Longe lateque diphthongum *ει* uno tenore aeque atque longam *ι* pronuntiatam esse, intellegimus; huc *παρηχήσεις* quoque pertinent ut Homeri (Il. *Α*. 274):

ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.

Ibidem Eustathius haec ait: *καὶ γὰρ καὶ τὸ πίθεσθε,*

---

cum autem hi viri eruditissimi sint, eos respicere fas est. De qua re confer virum haud deteriorem Bloch (p. 157 sq.), qui rem veram docet et summum errorem removet.

[1]) Confer Télfy (p. 97) ibidem verba Eustathii, *Κατὰ ὁμοφωνίαν παρηχητικὴν δύο πτώσεων δοτικῶν, ἤτοι τοῦ Αἰγεῖ ἡρωϊκῶς, καὶ τοῦ αἰγὶ ζωϊκῶς,* et Liscovius (p. 67), qui monet: „Hieraus ist die gleiche Aussprache des *ει* und *ι* zu vermuthen; denn ohne diese wäre das Wortspiel unpassend."

[2]) Vide Liscovius (p. 65) qui accurate locum tractavit.

μέσου ἀορίστου δευτέρου προστακτικοῦ πληθυντικοῦ, καὶ τὸ πείθεσθαι, ἀπαρέμφατον ἐν διαφόρῳ γραφῇ τὸν αὐτὸν ἦχον ἔχουσι. (Liskovius p. 106). Et illud Xenophontis, quod Oratores Graeci (ed. Walz III, p. 169, 705, V, p. 430 etc.), *πείθει τὸν Πειθίαν,* sed (Xenoph. Hellen. VII, 1. 41) *Πεισίαν — πείθει,* annotant. Tale est illud Hesiodi (*Ἐργ. κ. Ἡμ.* v. 828):

Ὄρνιθας κρίνων, καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων,

(v. Georgiad. p. 140). Propter eandem pronuntiationem *ει* et *ι* apud Aristotelem (Rhetor. III, 11, 20), *αὖτις ἐπὶ δαπέδονδε* pro *αὖτις ἔπειτα πέδονδε* (Hom. Od. *Λ*, v. 598), invenitur. Diphthongum *ει* longam *ι* esse, manifestum satis est, propterea grammatici saepissime *ει μακρὸν ι* nominant, vide Schaefer (ad Gregor. Corinth. p. 892). Sed hoc scilicet parvi momenti viri eruditi habent, nam testimonium posterioris est aetatis; profecto si hi viri ab aetate posteriori egredientes pronuntiationem explorarent, multas ineptias omitterent.

§ XVI. De diphthongo *οι*.

Diphthongus *οι* sicut ceterae uno tenore pronuntianda est, non autem cum diphthongus non est, velut littera *ζ*, etiamsi ex *σδ* orta est, tamen pro *σδ* nec semper littera *ζ* substituitur nec tali modo pronuntiatur, nam conjunctim tantum litterae *σ* et *δ* litteram *ζ* aequant, contra separatim minime, ut *εἰσδύω* non *εἰζύω*. Ergo diphthongus *οι*, nisi formam solam habet nec digammo disjuncta est, unam syllabam efficit. In dialectis pauca exempla diaereseos diphthongi *οι*[1]) inveniuntur,

[1]) Ahrens de dialect. Aeolic. § 18.

quae grammatici ut exceptiones annotant, nam natura diphthongi postulat, ut illae duae voces *ο* et *ι* unum sonum edant. Si quidem *ι* litterae *ο* ascribitur, causa non est, cur singulas pronunties, nam sono *ο* sonus *ι* non adjungendus sed cum eo confundendus est. Quodsi facias, nec Graecos nec Latinos antiquissimae aetatis interrogare opus erit, nam in tuo ipso ore soni *ο* et *ι* mixti vocem quasi *ü* vel pinguiorem *ι* edent. Inscriptiones Latinae hunc modum pronuntiandi plane demonstrant, nam *οι* pro *u* et *ι* scripta est. (Corssen p. 194 sqq.). Viri docti illud *οι* disjuncte pronuntiatum esse putant, cum in inscriptionibus *OI* inveniatur, at eandem ob causam illi videlicet recte Graecam diphthongum solute proferunt, quippe quam Graeci semper binis litteris scribant. Nemo tamen veterum diphthongos more Germano nec a Graecis neque a Latinis pronuntiatas esse tradit. Grammatici has longas vocales et unam syllabam esse, quae cum naturae repugnantes solvantur, annotant. Priscianus, qui Latinos multa a Graecis adoptasse refert, diphthongum *οι* Graecos per diaeresin pronuntiasse negat. Nominibus quibusdam Graecis aliquando per diaeresin, ut Troja pro *Τϱοία*, Latinos eandem scripturam *οι* observantes pronuntiasse dicit, verum, cum non item Graeci, qui non Troja pro *Τϱοία*, locuti sint, morem Aeolicum Latinos secutos indicat. (Priscian. ed. Keil I p. 39, 18). „Sic enim illi (Aeoles) dividentes diphthongum *κόϊλον* pro *κοῖλον* dicunt.“ Graeci igitur non *κόϊλον* sed *κοῖλον* dicebant. Ergo diaeresis rarissima in quibusdam locis est. Sic Iones littera *ο* producta in certis terminationibus diphthongum divide-

bant, ut *Τρωΐα* pro *Τροία*, inde Latinos *Troja* dixisse puto. Tum Graeci *ωι* in *ῳ* vel *ω* contrahebant. Si verum est, Aeoles *κόϊλον* sive peculiari ratione sive poetica licentia dixisse, ceteri tamen *κοῖλον* pronuntiaverunt.

Cum litterae *u* et *i* pro *oi* vel *oe* scriptae sint, et *υ* et *ι* pro *οι*[1]) apud Graecos inveniantur, *οι* simili modo pronuntiatum esse necesse est. Verum illud *οι* idem quod *υ* non erat, sed simile nihiloque magis *υ* i. q. *ου* vel *ο* i. q. *ου* Aeolico et Ionico modo. Diphthongus *οι* media inter *υ* et *ι*, item Latina *oe* inter *u* et *i* est, quae tamen pinguius et durius sonabat, cum *u* pinguior littera quam *υ* sit, deinde, littera *e* pro *i* substituta, diphthongus *oi* media inter *u* et *e* facta sit. Graeca vero non *oe* sed *οι*, nec inter *u* et *e* sed inter *υ* et *ι* est. Propterea grammatici, *οι ἀντίστοιχον υ*, dicunt (vid. Georgiades p. 132). Illud *υ*, ut diximus *ου* non est. Porro sicut diphthongus *ου* nec *οϋ* nec *ou* est, sed sonus duabus vocibus mixtus, ita *οι*; illud *ου* quidem crassum et pingue, hoc *οι* autem tenuius et mollius est. Ceterum si Graeci unam litteram pro *οι* scripsissent, nulla lis pronuntiandi orta esset, sed illi sana mente rectissime *οι* servaverunt, nam *οι* peculiarem locutionem ut una quaeque alia littera habet, et quamvis littera *ι* simillima sit, tamen non prorsus sed longior et pinguior quam *ι*, quae ex litteris *ο* et *ι* confusis nascitur.

In antiquis inscriptionibus sicut *ε* pro *ει* i. q. *η* ita *ο* pro *οι* fere i. q. *ου*, vide e. c. Boeckh (Staatshaushalt. d. Athener II. p. 754 ed. II) invenitur, pari igitur ra-

[1]) Oeconomus p. 302 sqq. Ahrens Aeolic. dial. § 40, 4.

tione οι ut ει, uno sono ut η et ου, pronuntianda est. Ante jam plura diximus, ex quibus, ut diphthongus οι sicut longa spissaque ι pronuntietur, per se sequitur, nam illud ι quod ascribitur nihil aliud quam producit. Quodsi eam per diaeresin semper legas, vehementer fallaris, et Graecos contractionibus uti existimare, ineptum est. Illi e. g. litteras ο et ι in οι porro ο et ει tam in ου quam in οι contrahebant. Cur autem contracta οι et οϊ quasi per diaeresin, et ο et ει contractis in ου uno sono, at vero in οι duabus proferas?

Vocales ω et ου et οι et υ, cum affines sint, una eademque in dialecto inter se variatae inveniuntur, quod fieri non posset, si diphthongus divisa esset. Fac ut prisca antiquitate hoc fuerit, tamen neutiquam praestantissima aetate linguae Graecae, cum hi summo studio et vocalium crebritatem et hiatum elegantissime auferrent. Quodsi Germani pro suo more et pro sua voce diphthongos per diaeresin pronuntiant, quamquam sic linguae nec dulcedinem nec suavitatem tribuunt, tamen ea nec horrida nec rudis evadit, quia vocabula consonantibus admodum abundant et diphthongi rarae sunt; sed Graeca contra et horridissima et rudissima fieret, cum vocales redundent, et diphthongi tam frequentes sint, ut vel unum vocabulum ex pluribus constare possit. Si igitur diphthongos dissolvas, tota lingua dilabitur, nam nihil nisi immodica et turpissima χασμωδία restat. Diphthongus οι nullo modo nulloque tempore separatim pronuntiata est; quodsi exempla non pauca solum sed spuria etiam sunt, nam aut diphthongi re vera non essent, sive digammo disjunctae ut ὄFις, ὄϊς sive ad

binas syllabas pertinentes ut Aristophaneum *κοΐ κοΐ*, aut proprio quodam more sive dialectico ut *κόϊλον* pro *κοῖλον* sive poëtico ut Homerus *ὀΐω* pro *οἴω*, cum omnia monumenta antiquitatis sententiam nostram confirment, quae futilibus conjecturis grammaticis potissimum veriloquii studio ortis praestant. Exempli causa, si testibus grammaticis Aeoles *κόϊλον* dixissent, Latini nec tamen Graeci loquerentur; Latini quidem *coelum*, Graeci *κοῖλον* i. q. *κυλὸν* vel *κυλλὸν*. Aristophanes (Equit. v. 1083) *κυλλὴ χεὶρ* pro *κοίλη χεὶρ* per ludum dicit. Item *κῦλα*, nimirum pro *κοῖλα*, (Phot. p. 185, 13), *τὰ ὑποκάτω τῶν ὀφθαλμῶν μέρη*, unde Latini *cilium*, etiamsi non idem significat. Sic rectissime Oeconomus (de pronunt. Graec. p. 302) *πύλη* i. q. *κύλη* ex *κοίλη*, littera *κ* in *π* mutata, ut saepe fit, esse annotat. Latini porro *cavus*, Graeci *κῦβος*, nam idem est quod *κοῖλος*, unde *κύββα* (Hesych.) *ποτήριον*[1]) et *κύμβη* (hodie vulgo *κουβᾶς*), *κύμβιον*, *κύμβαλα* etc. *Κῦβος* (Hesych.), *Πάφιοι τὸ τρυβλίον*; *κοβελίσκον*, *τρυβλίον* i. e. *κοϜιλίσκον*[2]); idem *κοιγὰ*, *κοῖλα*, i. e. *κοιϜὰ* et *κοιφὸν* vel *κυφὸν* i. e. *κοιϜόν*; forsitan igitur cum Aeoles *κόϊλον* dicerent, principio *Ϝ*, ut littera Latina *V* et Graecae *β*, *γ*, *φ* indicant, in vocabulo fuerit.

Pronuntiationem diphthongi *οι* nonnullis exemplis illustrabo.

Pro *οι* Boeoti *υ* scribunt, ut *Ὅμηρυ*, *καλὺ*, *ἐμὺ*, *τῦς*, *ἄλλυς* pro *Ὅμηροι*, *καλοὶ*, *ἐμοὶ*, *τοῖς*, *ἄλλοις* (Ahrens dial. Aeol. § 40, 4), et grammatici *οι* pro *υ* Aeoles dixisse, ut *χροισὸς* pro *χρυσὸς*, sic in antiqua inscriptione (Herod.

---

1) Latini *cupa*, Francogalli *coupe* et *cuve*, Germani *Kufe*.

2) *τρυβλίον* ipsum a vocabulo *κῦβος κύβλιον* ortum esse apparet.

Attic.) *ΠΣΟΙΚΗΕ* pro *ψυχὴ* tradunt (Ahrens dial. Aeol. § 15, 6); *οι* igitur ad *υ* respondet, ut praeterea *κοινὸς, ξυνὸς*; *κοίρανος, κύριος, τύραννος*; *δροίτη, δρύτη*; *οἶδνον, ὕδνον*; *ψοιὰ, ψυὰ*; *φλοίω, φλύω, fluo*; *ῥοιζέω* et *ῥυζέω*: *αὐλαFυδὸς* pro *αὐλαοιδὸς*; *κιθαραFυδὸς* pro *κιθαραοιδὸς* (Corp. I. Nr. 1583), ita nomina propria *Μοισοὶ, Μυσοὶ*; *Μοιρὼ, Μυρὼ*; *Ἀνεμοίτας, Ἀνεμύτας*; *Rhoemetalces, Ρυμητάλκης*. Diphthongus *οι* paulo a littera *υ*[1]) differt, propterea Max. Victor. (p. 1945) *oe* pro littera *υ* scribere jubet, ut *Hoelas* pro *Hylas*. Cum vero *οι* ad *υ* prorsus respondeat, etiam conjectura Minoidis Mynas (Calliope p. 127) Francogallicum *y*, idem quod adverbium Graecum *οἶ* esse, verisimilis est.

Οι ad *ι* propter eandem pronuntiationem respondet, ut *φλοιὰ, φλιὰ*; *οἶος, ἴος*; *σκοιὸς, σκιὸς*; *σκοίδιον, σκίδιον* (Hesych.); item *γλοιὰ, γλιὰ*; *γλοιὸς, γλισχρὸς*; *σοί, τίν*; *ἐμοὶ, ἐμὶν*; *δοιὸς, δισσὸς, δὶς, δύο*; *Λευκόνοιον, Λευκόνιον*; *ἐοίκατον, ἔϊκτον* (Odyss. *Δ*, v. 27), pariter *ἐπεποίθαμεν, ἐπέπιθμεν*; *οἴδαμεν, ἴδμεν*; *δέδοικα, δέδια*. Item *οι* pro *ι* permutata in libris Hesiodi, Homeri, Pindari aliorumque ut *Οἰλεὺς* et *Ἰλεὺς, Οἰλιὰς* et *Ἰλιὰς*, Godofr. Hermannus (de emendand. rat. Gr. Cap. II. p. 41) annotat. Pariter Latini *ι* pro *οι*, ut *οἴσαξ, vitex*; *οἶκος, vicus*; *οἶνος, vinum*; sic *venia* i. q. *εὔνοια* esse conjicio; quae exempla summi momenti sunt, quum digamma ex vetustate residuum servent. (Corp. Ins. Nr. 1563) *Fυκία* i. e. *οἰκία*. (Johann. Gramm. 244 *b*), *τὸν δὲ οἶνον Fοῖνον· ἔθος δ' ἐστιν αὐτοῖς* (*Αἰολεῦσι*) *προστι-*

[1]) Apud Graecos Lexicographos saepissime *οι* et *υ* permutantur, vide Hesychius ed. Alberti II p. 294, 13.

θέναι τὸ δίγαμμα. Ita *ι* pro *οι* terminationes genitivi, ut *vici* i. e. *οἴκοι* pro *οἴκου*, ut *Σάτυροι* (C. Inscr. Nr. 1767); dativi *vicis οἴκοις* etc. Thiersch (Gr. Gramm. § 168, 13) *Fίον* antiquam formam pro *οἷον* recte cum Germano *Wie* comparat.

Quam ob causam *οι* ad *υ* et *ι*, ob eandem ad *η* respondet, ut *Πυλοιγενὴς* et *Πυληγενὴς*, *ἐλαφήβολος* certum pro *ἐλαφοίβολος* ex *ἐλαφόβολος*, littera *ι* adjecta, ut *ο* produceretur. (Vid. supr. p. 124 sq.)

Pariter *ει* pro *οι*, ut *δυεῖν*, *πεῖος* pro *δυοῖν*, *ποῖος*, antiquissimo more Attico; Eustathius (ad Odyss. *φ*, p. 1907, 49) *Ἡρακλείδης λέγει τοὺς Ἀττικοὺς τὴν οι δίφθογγον εἰς τὴν ει μεταποιεῖν, τὸ δυοῖν λέγοντες δυεῖν, καὶ τὸ οἴκοι οἴκει, καὶ τὸ ποῖος πεῖος.* Porro *Ἀργειφόντης* et *ἀνδρειφόντης* sunt pro *Ἀργοιφόντης* et *ἀνδροιφόντης*; *οἶδα εἰδέναι*, *vidi*; *ἐμοῖο ἐμεῖο*, Apollonius grammaticus (Syntax. p. 105) pronomen personale *ἐμεῖο* et possessivum *ἐμοῖο* — *ἡ γοῦν ὁμόφωνος κτητικὴ* i. e. *ἐμοῖο* — consona esse docet item *σοῖο* et *σεῖο*; *παρειὰς* et *παροιὰς* (Anecdot. Ox. II. 301), *παρειὰ διὰ τῆς ει διφθόγγου οἱ Αἰολεῖς παροιὰς λέγουσιν.* (Gregor. Corinth. ed. Schaefer p. 605): *Οὗτοι τρέπουσιν τὴν ει δίφθογγον εἰς τὴν οι δίφθογγον ὡς ἐπὶ τοῦ ὄνειρος ὄνοιρος.* (Fischer ad Gram. Velleri p. 113). *Βείτυλος Οἴτυλος* (Boeckh. Corp. Insc. Nr. 1323) ex *Fίτυλος* (Ahrens dialect. Doric. § 5, 4) a Ptolemaeo *Βίτουλα* vocatur. *Δεδιοίη* et *δεδιείη* (Buttmann Gr. Gram. § 114), pariter *περιίειεν* pro *περιίοιεν* (Boeckh. C. I. Nr. 1688), *τοισοκράτεια* pro *τεισοκράτεια* vel *τισοκράτεια* (Corp. Insc. Nr. 155. p. 246). Nummi quidam Antonini Pii apud Occo p. 263 habent *οἰκοστοῦ* pro *εἰκοστοῦ*, item ceteri p. 264 sq. Sic in-

vicem οι, ει, η, υ, ι commutantur, ut ἀλείφω, ἄλειφαρ, ἀλοιφή; λίπος, λιπαρός; ἀείδω, ἀηδὼν, ἀοιδὸς, ὕδω; εἶμι, οἶμος; ἀλιταίνω, ἀλοίτης, ἀλείτης; λείβειν, λοιβή, λίβος; στείχειν, στοῖχος, στίχος; τοῖχος, τεῖχος, τύκος; λείπω, λοιπὸς, λοιμὸς, λιμὸς, λοιγὸς, λυγρὸς; ἔοικα, εἰκὼς, οἰκὼς; οἰχνέω, ἰχνέω, ἱκνέομαι; στείβειν, στοιβή, στίβος; κεῖσθαι, κοίτη, κίστη, κοῖτις (Etym. Magn. p. 524, 15): Ἀττικῶς ἡ μικρὰ κίστη, (Plutarch. Phoc. 28): μυστικαὶ κοῖται; Hesychius κοίτη, κίστη ἐν ᾗ τὰ βρώματα ἔφερον. Item κεῖμαι, κοιμάω, κείω, κίω, κιάθω (Hesych.), κατεκείαθεν, κατεκοιμήθη. Nonnulli μοιχὸς ex ὀμείχειν, ut Hemsterhusius et Leo Meyer (Vergleichende Gramm. p. 152), *mingere* ortum esse docent. Sed profecto nihil commune res ipsae habent, nisi instrumentum, quo efficiantur. Etym. Magn. ex μυχὸς. Certum est μοιχὸς cum μίγνυμι et re et verbo cohaerere.

Qui prae tot exemplis etiamnunc dubitat, ei ambigua quaedam verba fortasse persuadeant. Thucydides (II. 54) λοιμὸν pro λιμὸν Athenienses accepisse dicit. Ἐν δὲ τῷ κακῷ οἷα εἰκὸς ἀναμεμνῆσθαι καὶ τοῦδε τοῦ ἔπους οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ᾄδεσθαι „ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ,“ ἐγένετο μὲν οὖν ἔρις τοῖς ἀνθρώποις μὴ λοιμὸν ὠνομάσθαι ἐν τῷ ἔπει ὑπὸ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ λιμὸς, ἐνίκησε δὲ ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰρῆσθαι[1]). Ergo λοιμὸς aeque ac λιμὸς pronuntiatum

[1]) Hic locus Thucydidis a viris doctis saepe commemoratus et explicatus est, fere omnibus quodammodo consentientibus (vid. Télfy p. 101 sq., Liscovius p. 134 sqq.), quem tamen novissimus interpres Classen (edit. Weidmann.) non recte intelligit, cum verba ᾄδεσθαι, ὠνομάσθαι, εἰρῆσθαι conferat, ac si temporibus quibus-

est. *Οι* ab *ι* tanto discrepat, quanto *ι* tenuior et argutior quam diphthongus *οι* est, nam *λοιμὸς* pinguius prolatum est, quia non *ι* purum sed cum *ο* mixtum est. Cum *ι* in *λιμὸς* longa quoque sit, vocabula difficile distinguuntur.

Diphthongum *οι* uno sono, non *ο* et *ι* disjunctim pronuntiatam esse testem do Aristophanem (Pax ed. Richter v. 920). Chorus, *ὀΐ*, (dativus vocabuli *ὄϊς*, *ovis*). Trygaeus qui audit, quid *ὀΐ* significet nullo modo intelligit, nihiloque magis si Germanos graece loquentes audiret, propterea interrogat *ὀΐ*; Chorus, *ναὶ μὰ Δί'* (Trygaeus), *ἀλλὰ τοῦτο γ' ἐστὶν Ἰωνικὸν τὸ ῥῆμ'* (Chorus) *ἐπίτηδες γ' ἵν', — ὑπὸ τοῦ δέους λέγωσ' Ἰωνικῶς ὀΐ.* Schol. *Οἱ γὰρ Ἴωνες δισσυλάβως λέγουσιν ὄϊς, οἱ δ' Ἀττικοὶ μονοσυλλάβως, καὶ τὰς οἶς καὶ πολλὰ αὐτοῦ γένους. — Τὸ γὰρ ὀΐ ὀδυρομένων ἐστὶν ἀπόφθεγμα καὶ δυσχεραινόντων.* Pluribus verbis hunc locum interpretari necesse non est; diphthongus *οι* non dissolvebatur. Iones *ὄϊς*, cum inter *ο* et *ι* digamma esset, *oFις*, *ovis*, per diaeresin recte dicebant, sed Athenienses, digammo obliterato, *ο* et *ι* in diphthongum *οι* contraxerunt, quam uno sono *μονοσυλλάβως* pronuntiabant.

Diphthongum *οι* aeque ac longam *ι* pronuntiatam esse videmus, et cum *ει* aeque atque *ι* sit, eadem ratione *ει* et *οι* permutantur. Callimachus (ed. Meineke ad Apollin. v. 15) *τεῖχος* cum *τοῖχος* commutat, nam,

---

dam discreparent. Profecto vir doctissimus Thucydidem, praestantissimum rerum scriptorem, grammaticum ineptissimum fecit, ut illi sophistae (Pluto Protagor. p. 316 *D.*) Homerum, poetam simplicissimum, sophistam vaferrimum.

quod ad locutionem et significationem pertinet, parum interest. Meinekius, vir sagacissimus et eruditissimus, (p. 135 sqq.) emendationes philologorum commemorat, et ipse *στηρίξειν* pro *ἑστήξειν* et *τε τοῖχον* pro *τὸ τεῖχος* scribere mavult. Sed sensus, qualem libri omnes et grammatici citant et poeticus et rectus est. Hic quidem est. Simulatque Apollo redit, juvenes cantu et saltu laetantur et hi versus sequuntur:

Εἰ τελέειν μέλλουσι γάμον, πολιὴν τε κερεῖσθαι
Ἑστήξειν δὲ τὸ τεῖχος ἐπ' ἀρχαίοισι θεμέθλοις.

Quae verba unam sententiam, quamquam tres videntur, continent. Poeta nuptias, quibus vita humana renascitur, et gaudia Apollinis celebrat. Juvenis cum uxorem ducet, pater senectutem deponet et domus in antiquis fundamentis stabit; id est stirps domusque nuptiis et gaudiis renascitur et instauratur. Illae quidem copulae *τε* et *δὲ* non diversas sententias conjungunt sed eandem continuant. Profecto oratio elegantissima grammaticis regulis emendanda non est. Hoc loco vocabula *τοῖχος* et *τεῖχος* propter eandem pronuntiationem commutata intelligimus; pariter Homerus (Od. II. v. 165) *μέγα τείχιον αὐλῆς* pro *τοίχιον*. Differentia vocabulorum in articulo posita est, nam murus domus, *ὁ τοῖχος*, sed moenia, *τὰ τείχη*, sunt.

Diphthongus *οι* igitur aequalis *ει* et utraque longae *ι* est. Aristophanes vocabula ejusdem soni *οἶνον* et *δῖνον*, ut *ὄνον* asinum et *ὄνον* poculum, per ludum commutat[1]).

---

[1]) Vespae v. 616 sqq. ed. Richter, confer ejusdem animadversiones ad v. 618, qui verba simile sonantia quodammodo comprobat.

Κἂν οἰνόν μοι μὴ 'γχῇς σὺ πιεῖν, τὸν ὄνον τόν δ' ἐςκεκόμισμαι
Οἴνου μεστὸν, κἄτ' ἐγχέομαι κλίνας· οὗτος δὲ κεχηνὼς
Βρωμησάμενος τοῦ σοῦ δίνου μέγα καὶ στράτιον κατέπαρδεν.

Schol. *ὄνον: Εἶδος ἀγγείου, ἴσως δὲ διὰ τὸ διάπλασμα ἔχει ὄνου μορφὴν.* Poeta facete *τόνδε,* ut, qui audiunt, asini, cui summissus senex more Ulixis fugerit, recordentur, tum *οὗτος δὲ,* nimirum asinus, dicit. Schol. *βρωμησάμενος. Ἔπαιξε δὲ ὡς πρὸς τὸ ζῷον. — Βρωμᾶσθαι δ' ἐπὶ τὸ πεινῶντα τὸν ὄνον ὀγκᾶσθαι.* Hic autem asinus *ὀγκᾶται* vel *βρωμᾶται* non *πεινῶν* sed *πίνων,* nimirum *τοῦ σοῦ δίνου,* id est *τοῦ σοῦ οἴνου.* *Δῖνος* et *δεῖνος* scriptum propter eandem pronuntiationem invenitur. Schol. *ἔστιν ἀγγεῖόν τι κεράμειον οἴνου, οἷον πρόχυμα βάσιν οὐκ ἔχον ἀλλὰ κάτωθεν ὑπότροχον.* *Δῖνος* vel *δεῖνος* igitur pro *οἶνος* propter aequalem sonum substitutum est, nam *οἶνος,* ut Latini *vinum* dicunt, plane ut *δῖνος* proferebatur. Ergo primum *ὄνος,* ut Scholiasta monet, *ἀντὶ τοῦ οἰνηρὸν ἀγγεῖον* tum *δῖνον,* nimirum *τὸ οἰνηρὸν ἀγγεῖον, ἀντὶ τοῦ οἴνου.*

Dio Cassius, vocabulis *ποιητικὸς* et *πυθικὸς* i. e. *piiticos* et *pythicus,* ab hominibus quibusdam mutatis, hos ab imperatore Romano Nerone necatos narrat[1]). Cum autem Latini haud aliter quam Graeci *oe* nonnullis in vocabulis pro *y* scriberent, Latinae linguae studiosi *poeticus* et *poethicus*. non Graeca sed Latina vocabula, mutata

[1]) *Ὅτι ποιητικοὶ ἐκ προγόνων ἐπικαλούμενοι, οὐκ ἐπαύσαντο πρόσρημα τοῦτο ἔχοντες, ἀλλ' εἰς τὰς τοῦ Νέρωνος νίκας τὰς πυθικὰς ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἠσέβουν.* (Liscovius p. 113).

esse maluerint (confer Schneider Latin. Gram. I. p. 84). Nonnullas etiam annominationes, quas Eustathius (ad Il. p. 94 et 947 et p. 125, 30, ad Odyss. p. 480) annotat, afferam. **Σκύλλη, κοίλης; Ἐπειὸς, ἐποίησε; Χαρύβδις, ἀναρροιβδεῖ; ἤτοι, ἴτυς; Τροίη, εὐρείη; Ἀχαιΐδες οὐκετ' Ἀχαιοὶ** etc. ***Οὔ τι μοι αἰτίη ἐσσι, θεοί νυ μοι αἴτιοι εἰσὶν*** (Il. *T* v. 164). Item (Hesiod. *Ἐργ. κ. Ἡμερ.* v. 240) ***λοιμὸν ὁμοῦ καὶ λιμὸν*** etc.

Athenaeus (XII p. 571, *E*) ***τοῦ δὲ Διογένους εἰπόντος αὐτῷ, „ὦ Ἀρίστιππε κοινῇ συνοικεῖς πόρνῃ“· „ἢ κύνιζε οὖν ὡς ἐγὼ ἢ πέπαυσο.“*** Facetissime Diogenes annominatione ad ***κοινῇ συνοικεῖς*** Aristippo ***κύνιζε*** respondet, ad se ipsum quoque ***κύνα*** nominatum alludens. Pariter Aristophanes (Vesp. ed. Richter v. 916 sqq.). Xanthias ingeniose et apte se rapacem et impudicum ***κύνα***, dum Cleonem spectat, nominat:

Ἢν μή τις κἀμοὶ προβάλλῃ τῷ κυνί.

Philocleon: ***οὐδὲν μετέδωκεν;***

Xanthias: ***οὐδὲ τῷ κοινῷ ἐμοί!***

Bene ***ἐμοὶ*** repetit Xanthias, ut annominatio perspiciatur.

Exempla pronuntiatae diphthongi ***οι*** suppetunt ac recentioris aetatis permulta sunt, quae cum nemo dubitet, praetermitto[1]). Antiquo quoque tempore, quo lin-

---

[1]) Vide Oeconomus (p. 312 sqq.), Télfy (p. 103), Wettstenius (p. 185 sqq.), Stanislaus (p. 112). Basilius Magn. (p. 594): ***πᾶσα λέξις ἀπὸ τῆς κυ συλλαβῆς ἀρχομένη, διὰ τοῦ υ ψιλοῦ γράφεται, οἷον κύριον κῦμα, πλὴν τοῦ κοῖλον, ὃ σημαίνει τὸ βαθὺ, ἐξ οὗ καὶ κοιλία καὶ κοιλαίνω.*** (ibidem p. 609): ***πᾶσα λέξις ἀπὸ τῆς χρυ συλλαβῆς ἀρχομένη, διὰ τοῦ υ ψιλοῦ γράφεται, οἷον χρυσὸς καὶ ἕτερα·***

gua Graeca florebat, locutionem *οι* mediam inter crassam *υ* ac tenuem *ι* et aequalem longae *ι* fuisse variis documentis locisque scriptorum praestantissimorum docui, quae perspicua et simplicia unusquisque facile perspiciet, nisi forte Strepsiades quidam est.

§ XVII. De diphthongo *ΑΙ*.

Quam brevissime diphthongum *αι* absolvemus, nam ex supra dictis uno sono pronuntianda est. Illud *ι*, ut *α* produceretur, adscriptum est, quodsi littera *α* re vera producetur, cum *ι* confundenda erit; adeo hoc ipsum est, quod diphthongum efficit. Sin disjunctim *αι* proferemus, more puerorum loqui incipientium, qui singulas vocales solutas recitant, agemus. Graeci, cum diphthongi *αι* dissolvunt, exceptio quaedam est, vel poetica licentia vel dialectica consuetudo, in nonnullis tamen nominibus aut diphthongus non est, sicut *Ἀΐδης, ἀΐδιος,* aut digammo antiquissimo tempore divisa erat. Profecto normam pronuntiationis, non exceptiones investigamus; et paucissimae exceptiones a Grammaticis commentatae nihil aliud quam Graecos diphthongos uno tenore pronuntiasse affirmant. Pariter Latini, etiamsi Corssen vir doctus in libro de pronuntiatione Latina praemio ornato (p. 178 sqq.), diphthongum *αι* principio binis vocibus *α* et *ι* pronuntiatam esse, immensa copia inscriptionum

---

χροιὰ δὲ μόνον δίφθογγον. Vides quantum diphthongus *οι* et vocalis *υ* affines sint. Recte Liscovius (p. 140) animadvertit. „Auffallend ist, daſs Basilius hier die Anfangssylben *κι* und *χρ* nicht erwähnt. Ich schlieſse daraus, daſs *υ* und *οι* in des Basilius Aussprache noch von dem *ι* verschieden waren."

docet; cum *ae* et longa *e* etiam brevis *e* pro *ai* omni tempore substituta sint, nullo modo hanc ut *a* et *i* per diaeresin, quin etiam sicut *e*, longam quidem, uno sono pronuntiatam esse, patet. Nihiloque minus, qui in ejus verba jurant, falluntur, diphthongum *ai* etiam divisam, in *ae*, sive longam sive brevem *e*, debilitatam esse docentes, quod fieri non potest, nam si debilitata esset, aut in *a* aut in *i*, nullo modo in *e* transisset; cum vero diphthongus *ai* conjunctim ut *ae* i. e. ut longa *e* pronuntiaretur, debilitata in brevem *e* transiit, quare postrema aetate, brevem *e* pro *ae* invenimus, pariter lingua Graeca depravata diphthongus *αι* a brevi *ε* nihilo differt (Corssen p. 231 sq.). Ergo et Graeci et Latini diphthongum *αι* uno sono longo *ε* proferebant; et littera *ι* antiquos, ut breves vocales producerent, usos esse, jam diximus; non minus Germani c. c. *caseus*, *a* producta per litteram *i* adjectam *caiseus* i. e. *Käse*, hi tamen peculiari natura vocis diphthongos singulariter quasi per diaeresin pronuntiant, unde Corssen pro patria indole linguam Germanam minus quam Graecam depravatam esse judicat.

Diaeresin rarissime a poetis adhibitam Grammatici docent. Cum Latini suo more *e* pro *i* scriberent, *ae* dissolventes, antiquo et Graeco modo *ai* posteriore aetate scribebant. Priscianus (ed. Keil I p. 35, 15): „*Ae*," ait, „quando a poetis per diaeresin profertur (ergo alioquin sine diaeresi unoque sono) secundum Graecos per *a* et *i* scribitur" (tantum scribitur non pronuntiatur *aï*, nisi quando a poetis). Confer Quintilianum (Inst. Or. I, VII, 18). Testimoniis igitur Grammaticorum, antiquorum qui-

dem non recentiorum, diphthongum *αι* uno tenore pronuntiatam esse, apertum est. Quem ad finem sententiam Plutarchi ab Erasmianis[1]) pessime interpretatam, qui *αι* suo ingenio divisam esse docent, quamquam facillimam intellectu a Graecarum litterarum peritis afferam. (Sympos. IX Quaest. II cap. II.): *Τουτὶ γὰρ* (*Α*) *οὔτε τοῦ ἰῶτα δεύτερον, οὔτε τοῦ υ ταττόμενον, ἐθέλει ὁμολογεῖν οὐδ' ὁμοπαθεῖν, ὥστε συλλαβὴν μίαν ἐξ ἀμφοῖν γενέσθαι,* (id est si *α* litteras *ι* et *υ* sequitur, ergo *ια* et *υα,* syllabam unam, ut *αι* longam *ε,* facere nequit, nam nec coalescit nec idem patitur, id est *ια* et *υα* non ut *αι* in unam syllabam contrahuntur) *ἀλλ' ὥσπερ ἀγανακτοῦν καὶ ἀποπηδῶν ἰδίαν ἀρχὴν ζητεῖν ἀεὶ,* (nimirum si *α* excipit *ι* et *υ*) *ἐκείνων δὲ, ὁποτέρῳ βούλει προταττόμενον ἀκολουθοῦντι καὶ συμφωνοῦντι χρῆσθαι καὶ συλλαβὰς ὀνομάτων ποιεῖν, ὥσπερ τοῦ αὔριον καὶ τοῦ αὐλεῖν καὶ τοῦ Αἴαντος καὶ τοῦ αἰδεῖσθαι καὶ μυρίων ἄλλων.* Litterae autem *ι* et *υ* si *α* sequuntur, et coalescunt et syllabam unam efficiunt ut *αὐλὸς Αἴας*[2]) etc. Diphthongus igitur *αι* unam syllabam et unum sonum esse patet. Idem Gellius (XIX. 14) his verbis Nigidii significat: „*Α* et *ο* semper principes sunt, *ι* et *υ* subditae, *ε* et

---

[1]) Vid. Havercamp Syllog. p. 126.

[2]) Exemplo aptissimo Oeconomus linguae Graecae peritissimus sententiam evidentem Plutarchi illustrat (p. 254 *α*): *Οἷον εἰς τὸ Αἴσων καὶ αὐλὸς τὸ α συναιρεῖται μετὰ τοῦ ι καὶ τοῦ υ εἰς μίαν συλλαβὴν, ἀλλ' εἰς τὰ ἀντίθετα Ἰάσων καὶ ὕαλος τὸ α δευτέραν τάξιν ἐπέχον ἀναπηδᾷ καὶ δὲν* (i. e. *οὐ*) *συνέρχεται εἰς μίαν συλλαβὴν μετὰ τῶν προηγουμένων ι καὶ υ ἀλλ' ἐκδίδει* (*ἐκδίδωσι*) *τὸν ἴδιον φθόγγον εἰλικρινῆ καὶ ἀσυναίρετον.*

subit et praeit.“ Non, ut α et ι vel ο et ι etc. pro αι vel οι pronuntiarentur, sed de ordine litterarum, eodem sensu ac Plutarchus de diphthongis αι et αυ, dixit. Quodsi per diaeresin prolatas esse, cur ibidem Graecos nulla re subactos ε et ι pro longa ι scripsisse, vituperat?

Perperam viri philologi diphthongum αι dividunt, nihiloque minus Buttmannus fallitur, qui exemplo Platonis pravam suam sententiam defendit. (Gr. Gramm. § 5 Anm. 7****) „Plato's Anspielung im Kratylus (p. 412 *d*) von *δίκαιον* auf *διαϊὸν*, zeigt uns die damalige alte Aussprache.“ Plato, ut de littera η dixi, omnes res motu et gressu ortas esse demonstrat, deinde verba ut *ἵημι, εἶμι, ῥέω, χορῶ, δέω, ἴσχω, πορεύομαι* elementa originis nominum sunt. (Cratyl. p. 411 *ε*) *οὐ κατενόησας ἴσως τὰ ἄρτι λεγόμενα, ὅτι πάντα πᾶσιν ὡς φερομένοις τε καὶ ῥέουσι καὶ γιγνομένοις τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα ἐπίκειται.* Quibus in verbis argumentum dialogi continetur. Ergo diphthongum αι vocabuli *δίκαιον*, philosophus dissolvit, ut sententiam suam de motu cursuque rerum exponat. Mirum non est, quod in *δίκαιον* illud *ἰὸν* invenit, cum etiam in illo *ὂν* (Id. p. 421 *B*), quod substantia est, littera ι adscripta progressum significatum esse dixit. Pariter (p. 415 *d*) de virtute *ἀρετὴ* haec dicit, *ὀρθῶς μὲν ἔχει ἀ ε ι ρ ε ί τ η ν καλεῖν· ἴσως δὲ α ἱ ρ ε τ ὴ ν λέγει, οὔσης ταύτης τῆς ἕξεως αἱρετωτάτης. ξυγκεκρότηται δὲ καὶ καλεῖται ἀρετή.* Qua etymologia in vocabulo *αἱρετὴν* diphthongum αι divisam esse putares, cum αι ad αει respondeat, sed Plato rursus in *ἀρετὴν, τὸ ἀσχέτως καὶ τὸ ἀκωλύτως ἀεὶ ῥέειν* inesse, sua argumentatione indicat. Pariter (p. 416 *B*) *αἰσχρὸν*;

Τῷ ἀεὶ ἴσχοντα τὸν ῥοῦν τοῦτο τοὔνομα ἔθετο, ἀ ε ι σ χ ο-ρ ο ῦ ν, νῦν δὲ συγκεκροτημένον αἰσχρόν. Sic *αἰθὴρ: ὅτι ἀεὶ περὶ τὸν ἀέρα θέων, ἀ ε ι θ ε ή ρ δικαίως ἂν καλοῖτο,* aliaque. Minime quidem *αι* separatim pronuntiabat, sed diphthongum quum consilio divisisset, illo *σ υ γ κ ε κ ρ ο-τ η μ έ ν ο ν* in verum statum reduxit. Ut originem verborum pro suo consilio exquireret, verba saepe dividendo et contrahendo ceterasque litteras adjiciendo et auferendo detorquebat (p. 414 *D*). *Εἰ δ' αὖτις ἐάσει καὶ ἐντιθέναι καὶ ἐξαιρεῖν ἅττ' ἂν βούληταί τις εἰς τὰ ὀνόματα, πολλὴ εὐπορία ἔσται καὶ πᾶν ἂν παντί τις ὄνομα πράγματι προσαρμόσειεν.* Diphthongum *ει* sicut *η* ([Cratyl. p. 398 *B*] *δ α ΐ μ ο ν ε ς ὅτι δ α ή μ ο ν ε ς ἦσαν*) similiter ac *ι* pronuntiatam esse docuimus. Quibus exemplis ut *αἰσχρὸν, ἀεισχορροῦν; αἱρετή, ἀειρείτη; αἰθήρ, ἀειθερὴρ* ceterisque rursus nostra sententia confirmatur, *αι*, cum diphthongus *ει* ad *ι* respondeat, cum omnes diphthongi natura et ratione inter se nihil differant, pariter uno sono, i. e. longo *ε*, pronuntiatam esse, quam rem uno exemplo absolvam (Cratyl. p. 410 *B*), *γ α ῖ α γὰρ γ ε ν ν η τ ε ί ρ α ἂν εἴη ὀρθῶς κεκλημένη, ὥς φησιν Ὅμηρος· τὸ γὰρ γ ε-γ ά α σ ι γεγενῆσθαι λέγει.* Profecto Plato non *γάϊα* per diaeresin, sed uno sono *γαῖα* loquens, cum *γ έ α* confert.

Quia diphthongus *αι* ut longum *ε* pronuntiabatur, propterea cum *ε* commutatur[1]) et eo correpta in *ε* transit, ut *γαιάοχος, γεωγράφος; αἴωρα, ἔωρα; αἰόλει, ἐόλει*

[1]) Exempla posterioris aetatis frequentiora sunt (confer Corssen p. 231) et recte Schaefer (ad Gregor. Corinth. p. 316, 56) annotat: „Praeter dialecti difficultatem, caussa fuit frequens admodum error scribarum in *ε* et *αι* permiscendis.“

(Boeckh. Pindar. Pyth. IV. 233 de metr. p. 289); *ἱρεύμενον* pro *αἱρεύμενον* i. e. *αἱρεόμενον* pro *αἱρόμενον*, (Hesiod. vid. Buttman. Gr. Gram. § 114 p. 101 verb. *αἴρω*); *δὲ* et *δαὶ*[1]) sic *καὶ*, *τε*, Latini, *que*, *et*; *ἀκταία*, *ἀκτέα*; *φενόλης* pro *φαινόλης*, *μερμαίρω* et *μερμέρω*, *ἀνώγαιον*, *ἀνώγεων*. In inscriptione Attica (Boeckh. Corp. Inscript. vol. I p. 50, 292) *Ἀθηνέων*, *Ἀλκμεωνίδης*[2]) pro *Ἀθηναίων*, *Ἀλκμαιωνίδης*, quod documentum summi momenti est, nam inscriptionem *βουστροφηδὸν* scriptam antiquissimam esse patet. De duplici scriptura *Ἀθηναίων* et *Ἀθηνέων* confer Schaefer ad. Gregor. Corinth. p. 380, 44. Saepissime terminationes *αῖος*, *αῖα*, *αῖον* et *έος*, *έα*, *έον* permutantur. Sic *αἴ αἴ*, simile *ἔ ἔ*, una voce longa *ε* prolatum esse confirmat, ut vocabulum *ἐλεγεῖα*[3]). *Fenestra*, Graeci, cum *φαίνω* conferentes, *φαινέστρα* dicunt, vide Gellium (in Noct. Attic. L. VI. c. 12) qui etiam *peto* et *αἰτῶ* cohaerere tradit. *Ἔδουοι* pro *Haedui* (Plutarch. Caes. 26) etc. Latini diphthongum *αι* praeter suam *ae* etiam littera *e* reddebant, ut *oleum*, *ἔλαιον*; *seta*, *χαίτη*; sic terminationes infinitivi *re* et *se* pro Graecis

---

1) Minoides Mynas (Calliope p. 104).

2) Nonnulli *Ἀθηνέων* pro *Ἀθηναίων* ionicam formam esse putant, nemo autem *Ἀλκμεωνίδης* nisi vir imperitus putaverit.

3) Boeckhius vocabulum Lydicum vel Phrygicum esse judicat, quia natura hujus carminis principio lugubris (*θρῆνος ἔλεγος*), cui soni tibiarum subsequebantur, moribus et musicae illius nationis congruit, quod verum esse mihi videtur; sed Graeci saepe vocabula barbara ita modo convertebant; ut Graeca genuina esse viderentur, et poetae hoc modo utebantur et explicabant, sicut ex *Αἴλινος*, quod Chaldaeicae originis est, fecerunt fabulam Lini quem *αἴλινον αἴλινον* (Sophokl. Ajax 635) exclamando lugebant.

αι et *σαι* (vide Giese, Aeol. Dialect p. 9). Sic Grammatici *αι ἀντίστοιχον ε*[1]), docent. Anonymus Grammaticus (apud Caperronier p. 201) ait, *τέσσαρές εἰσιν ἀκολουθίαι τῶν ἀντιστοίχων· ἡ διὰ τοῦ ο μικροῦ, ᾗ ἀντίκειται ἡ διὰ τοῦ ω μεγάλου· ἡ διὰ τοῦ ε ψιλοῦ, ᾗ ἀντίκειται ἡ διὰ τῆς αι διφθόγγου· ἡ διὰ τοῦ ι, ᾗ ἀντίκειται ἡ διὰ τοῦ η, ᾗ καὶ ἡ διὰ τῆς ει διφθόγγου· καὶ ἡ διὰ τοῦ υ, ᾗ ἀντίκειται ἡ διὰ τῆς οι διφθόγγου.*

Sextus Empiricus, diphthongos *αι, ει, ου*, cum unum semperque eundem sonum edunt, pro elementis ut litteras habet (adversus Grammat. ed. Bekker p. 625): *Ἐπεὶ οὖν ὁ τοῦ αι καὶ ει φθόγγος ἁπλοῦς ἐστὶ καὶ μονοειδὴς, ἔσται καὶ ταῦτα στοιχεῖα τεκμήριον δὲ τῆς απλότητος καὶ μονοειδείας τὸ λεχθησόμενον. ὁ μὲν γὰρ σύνθετος φθόγγος οὐχ οἷος ἀπ' ἀρχῆ προσπίπτει τῇ αἰσθήσει, τοιοῦτος ἄχρι τέλους παραμένειν πέφυκεν, ἀλλὰ κατὰ παράτασιν ἑτεροιοῦται, ὁ δὲ ἁπλοῦς καὶ ὄντως τοῦ στοιχείου λόγον ἔχων τοὐναντίον ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους ἀμετάβολός ἐστιν· οἷον τοῦ μὲν ρα φθόγγου ἐν παρατάσει προφερομένου, δῆλον ὡς οὐχ ὡσαύτως αὐτοῦ κατὰ τὴν πρώτην πρόσπτωσιν ἀντιλήψεται ἡ αἴσθησις καὶ κατὰ τὴν τελευταίαν, ἀλλὰ κατ' ἀρχὰς μὲν ὑπὸ τῆς τοῦ ρ ἐκφωνήσεως κινηθήσεται, μεταῦθις δὲ ἐξαφανισθείσης τῆς τοῦ α δυνάμεως ποίησεται τὴν ἀντίληψιν. ὅθεν οὐκ ἂν εἴη στοιχεῖον τὸ ρα καὶ πᾶν τὸ ἐοικὸς αὐτῷ. εἰ δὲ τὸν τοῦ αι φθόγγον λέγοιεν, οὐδὲν ἔσται τοιοῦτον, ἀλλ' οἷον ἀπ' ἀρχῆς ἐξακούεται τῆς φωνῆς ἰδίωμα, τοιοῦτον καὶ ἐπὶ τέλει, ὥστε στοιχεῖον ἔσται*

[1]) Vid. Bloch (p. 54), M. Minoides (p. 110), Georgiades (p. 132).

τὸ αι. τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, ἐπεὶ καὶ ὁ τοῦ ει φθόγγος καὶ ὁ τοῦ ου[1]) μονοειδὴς καὶ ἀσύνθετος καὶ ἀμετάβολος ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους λαμβάνεται, ἔσται καὶ οὗτος στοιχεῖον. Diphthongi ergo, αι, ει, ου, μονοειδεῖς καὶ ἀσύνθετοι καὶ ἀμετάβολοι λαμβανόμεναι ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους στοιχεῖα ἔσται, neque unus sonus diphthongi αι nisi longa ε est. Aristides Quintilianus (de musica ed. Meibom II, p. 93): Τὸ δὲ[2]) (ε) θῆλυ μέν ἐστι κατὰ τὸ πλεῖστον ὡς προείρηται[3]) τὸ δὲ τὸν ὅμοιον ἦχον ἐπιφέροιεν, εἰ ἐκταθείη τῇ αι διφθόγγῳ γραφομένῃ διὰ τοῦ α ἐπ᾽ ἐλάχιστον ἠρρένωται. Diphthongus αι ergo aequalem sonum atque ε sed longiorem tantum, ἐπ᾽ ἐλάχιστον ἠρρενωμένον, effert, nec profecto αι aliud quam longa ε est unusque sonus, quare in poësi persaepe eodem modo quo simplex vocalis abjicitur, et anceps, quam grammatici κοινὴν communem[4]) nominant, in prosodia accipitur.

Denique nonnullas παρηχήσεις, quas Eustathius (ad Il. *Α* p. 94 et p. 274; Parabol. Odyss. p. 307; Oeconomus p. 260 sq. et Annot. α) tradit, aliasque afferam. Ἑτέρωθεν ἑταίρου; πείθεσθε πείθεσθαι; καινὸς καὶ κενός; αἴλινον ἐλέλιζε; αἱ ἄλλαι ἀόλλεες. Huc pertinent terminationes aequales, quae orationem urgent, ut, (Il. *Z.* v. 79) ἔστε μάχεσθαί τε φρονέειν τε. Terminationes

---

[1]) Coraes οι pro ου scribendum esse conjecit; lege etiam, quae de pronuntiatione linguae Graecae prudenter dicit (Βίβλ. Ἑλλην: μερ. α', περὶ τῆς ἐκδόσεως τοῦ Ἰσοκράτους p. 90 sqq.).

[2]) Vid. Georgiades (p. 134 [2]) et Meibomii annotationes.

[3]) Vid. sups. de littera η.

[4]) Vid. Anecdot. Graec. Bekker. p. 1214.

σε, σϑαι, τε, τε eleganter repetuntur. Pariter (Il. *Z*. v. 460; *Λ*. v. 746) ἀριστεύεσκε μάχεσϑαι. (Il. *B*. v. 485):

'Υμεῖς γὰρ ϑεαὶ ἔστε παρέστε τε ἴστε τε πάντα.

Si quidem ϑεαΐ per diaeresin pronunties, concinnitatem orationis et perpetuitatem soni I interrumpas, et in hoc vocabulo locutio refrigescit et hiat. Porro (Il. *Z*. v. 452): οἵ κεν πολέες τε καὶ ἐσϑλοί, ubi κεν ad καὶ respondet et sonus frequentissimus ε multitudinem eleganter significat.

Οὐκ ὀφϑήσῃ κενὸς ἐνάντιόν μου ἀλλ' ἄλλον τρόπον καινός[1]). Eustathius in Il. *Λ*. p. 120: κενὸς μὲν καὶ καινὸς τὰ αὐτὰ κατὰ τὸν ἦχον ἀπαραλλάκτως εἰσί· πλὴν τὸ μὲν πρῶτον διὰ τοῦ ε ψιλοῦ γράφεται, τὸ δὲ δεύτερον τὴν διὰ διφϑόγγου γραφὴν ἀπηνέγκατο.

Oeconomus (p. 259) epigramma Palladae (450 p. Chr.) οὐκ ἐϑέλω Δόμινε (*domine*), οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι commemorat.

Versus Alexis poetae comici Thuriis aequalis Alexandri regis Macedonum parechesin vocabulorum ἑταίρας et ἕτερα consulto continet (Athen. p. 63 *E*): τούτων ἂν τις εὕροι φάρμακα ἐρῶν ἑταίρας ἕτερα χρησιμώτερα. Sic Menandri (Athen. VI. p. 247 *E*):

τοῦϑ' ἑταιρός ἐστιν ὄντως· οὐκ ἐρωτᾷ πηνίκα
δεῖπνόν ἐστιν, ὥσπερ ἕτεροι, καὶ τί δειπνεῖν κωλύει
τοὺς παρόντας, εἶτα δεῖπνον ἕτερον etc.

Confer etiam (Hippolyt. Refutat. Haeresium IX, 9, ed. Sneidewin) αἰὼν παῖς ἐστὶ παίζων πεσσεύων.

Exempla inscriptionum et scriptorum et codicum[2])

---

[1]) Vid. Beza p. 211; Georgiades p. 126.

[2]) Vid. Placentinius p. 133; Oeconomus p. 260 sqq., p. 252 sqq. Wettstenius p. 197 sqq. Liskovius p. 36 sqq. Sic scholiasta

posterioris aetatis de modo *αι* pronuntiandi, quae plurima sunt, praetermittere soleo.

§ XVIII. De diphthongis *ΑΥ* et *ΕΥ*.

Cum *αυ* et *ευ* diphthongi sint unam syllabam efficientes duabus vocibus confusis, eas unum sonum edere necesse est. Priscianus (I. p. 44, 13): „Nulla," ait, „syllaba tres vocales habet, unde *u* et *ι* non aliter junguntur diphthongis nisi loco positae consonantium, *u* tamen etiam tum jungi potest diphthongo, cum amittit vim litterae ut „quae" „linguae". Saepe inveniuntur pro duabus vocalibus junctis, hoc est pro diphthongo singulae vocales positae, ut *plostrum* pro *plaustrum* et *inquiro* pro *inquaero* et ubique pro *ei* diphthongo *e* producta vel *i*, sicut supra dictum est." Unde patet, diphthongum duas vocales esse junctas, pro quibus, cum unum sonum efferant, singulae vocales, ut *i* vel *e* producta, pro *ei* ponuntur. Illud *u*, ubi duabus vocalibus ut in „quae" „linguae" conjunctum syllabam facit, loco consonantis positum est. Sunt igitur *αυ* et *ευ* diphthongi sicut *αι* (Plutarch. Sympos. IX Quaest. II Cap. II). Cum *u* vel *υ* loco consonantis i. e. *v* vel *β* sint, *av* et *ev* sive

Aristophanis (Lysistr. v. 852) *Παιονίδης Κινησίας*, eadem pronuntiatione ductus, ait *παίζει πρὸς τὸ πέος ὥς ἀπὸ δήμου τινός.* Et Theo (Rhetor. Graeci ed. Walz I c. IV p. 187): *παῖς οὖσα* pro *πεσοῦσα.* De hoc loco confer Beza (de german. Pronunt. ling. Graec. p. 134 sqq.), Seyffarthus (p. 446 sqq.), Georgiades (p. 132), Oeconomus (p. 257 sqq.). Index lectionum Semestr. hibern. 186 3/4 Berolini; Quintil. Inst. Or. VII, 9. 4. Diogen. Laert. vit. Zenonis VII, 62.

αβ et *εβ* pronuntiandae sunt. Illud *v* Latinum i. q. Graecum *v* et nihil aliud quam Aeolicum digamma est. Priscianus (I. p. 15) „*v* vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habet apud Latinos, quam apud Aeolis digamma — pro quo Caesar hanc Ⅎ figuram scribi voluit, quod quamvis illi recte visum est, tamen consuetudo antiqua superavit.“ Caesar rectissime illam figuram voluit, nam apud Latinos *v* in vocalem *u* transiit, et suam antiquam naturam amisit, quam Graeci per tantum spatium temporis integram servaverunt, quamquam Corssen, in libro magnifice laudato (p. 232), diphthongos *αυ* et *ευ* in *αF* et *εF* depravatas a Graecis recentioribus esse docet. Cujus verba, qui rectam rationem pronuntiandi et Graecam et Latinam jam ante memoriam rerum fuisse tradit, atque, ut Germanice dicam, das Gras wachsen hört, haec sunt: „Nimmt man hinzu, dafs auch der Diphthong *αυ* sich im Neugriechischen zu *αF* verhärtet hat, so ist klar, dafs der Vocalismus dieser Sprache sich in einem Zustande ärgerer Zerrüttung und Verarmung befindet, als in den neueren Germanischen und Romanischen Sprachen.“ Bene, Quintilianus (I. 7. 26): „*seruum, ceruum*que — nunc *u* gemina scribuntur ea ratione, quam reddidi; neutro sane modo vox, quam sentimus efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus litteram adjecerat.“ Quia Latinum *v* durum sicut omnes consonantes durae sunt, euphoniae causa vocalem *u* substituebant, ut recte Priscianus, ait, (I. p. 18, 12): „nec mirum cum *b* quoque in *u* euphoniae causa converti invenimus, ut *aufero* pro *abfero*.“ Quae testimonia grammaticorum futilia et exilia existimaban-

tur a sapientissimis hominibus nostrae aetatis lapides et tabulas praeferentibus, ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην.

Pronuntiatio litterae *Υ*, ut supra (p. 76 sqq.) diximus, duplex est, et consonans et vocalis, ergo recte *αυ* et *ευ* quasi *αF* et *εF* efferebantur, sed *ου*[1]), cum *υ* loco purae vocalis sit, prope ut Latina *u*, quae postea ex littera *v* nata est. Quodsi posteriore aetate Latini plerumque littera *u* pro *v* primitiva, nam *v* i. q. *υ* est (Mar. Victor. p. 2459), utuntur, inde Graecos diphthongos *au* et *eu* pronuntiasse, judicare falsum est, nam etiamsi *v* et *u* proximae Graecae *υ* sunt, tamen *υ* et pronuntiatione et usu discrepat. De pronuntiatione supra jam diximus[2]). Est igitur vocalis, quae et sonus asper ac sibilans *i* et consonans *v*[3]), quae ipsa digamma[4]) est. Digamma

[1]) Erasmus (de pronunt. Graec. p. 73) fallitur, cum haec dicit: „Atqui si Graeci recte sonant *αυ* et *ευ*, servandus erat idem sonus *υ* in *οὗτος* et *λόγου*.“ Hoc *ου*, quamquam diphthongus, diaeresin nullo modo patitur, est quidem *ο* vel *υ* productum ut *η* productum *ε*, quare antiquissima aetate litterae *ο* et *υ* pro *ου* inveniuntur. Deinde *ου* a diphthongis *αυ* et *ευ* discernenda est.

[2]) Vide §§ de digammo et de Υ.

[3]) Vide Seyffarth de sonis litterarum Graecarum p. 142 sqq.

[4]) Rectissime Buttmannus animadvertit (Ausf. Griech. Gramm. ed. alter. p. 15): „So enthält die Aussprache *avtos, Zevs* (*αὐτὸς, Ζεὺς*) einen deutlichen Beweis, dafs die neugriechische Aussprache der Hauptsache nach wirklich eine alte ist. Denn wie hätte das *υ* dieses Diphthongen wieder so zurückspielen können in das Digamma, das es ursprünglich war?“ Item Thiersch (Gr. Gramm. § 16, 4) diphthongos, *ευ, ηυ, αυ, αυ,* ex *εF, ηF, αF, αF,* ortas esse annotat, sed falsissime *au* et *eu* pronuntiatas esse Latino more docet. Attamen pronuntiationem *αυ* et *ευ* posteriorem qui-

litteram *β* maxime aequasse jam (p. 44 sqq.) docuimus. Quod certis condicionibus litteram *φ* aequet, hominibus linguae Graecae peritis, quibus regulae et modi aspirationis noti sunt, minime mirum erit. Latine quoque littera *f*, quod digamma[1]) est, proxime litteram *φ* pronuntiabatur. Verum *υ* non eadem atque *φ* et *f* est, sed has tantum aequat, nam mollius et suavius sonat et naturam vocalis continet, quamobrem propter maximam tenuitatem difficilis perceptu omittitur et in vocalem puram transit.

Quae diximus nonnullis exemplis illustrabimus. Aeoles *Y* i. e. *F* post vocales *α* et *ε* pro digammo inseruerunt (Gregor. Corinth. ed. Schaef. p. 591): *αἱ προσθέσεις τοῦ υ, ἐπιφερομένου φωνήεντος, Αἰολέων ἐστὶν· οἷον χεύαντες ἀντὶ τοῦ χέαντες. Αυ* et *ευ* i. e. *αF* et *εF* quasi *αβ* et *εβ* pronuntiantur, velut *ἀFὼς, ἄυως, ἀβὼς; καFω, καύω; φάFος, φαύος, φάβος; ἀFέλιος, ἀυέλιος, ἀβέλιος; ἔFασον, ἔυασον, ἔβασον;* Etym. Magn. *ἔβασον ἀντὶ τοῦ συγχώρησον οὕτως Συρακόσιοι καὶ Λάκωνες; ἐδάFη, ἐδάυη, ἐδάβη; δαFλὸς, δαυλὸς, δαβελὸς*[2]); (Apollon. lexic. homeric.): *κὴξ — λέγεται δὲ κάηξ* h. e. *κάFηξ*; (Etym. Magn. p. 493, 48): *καύηξ ὁ λάρος,* item Hesychius, sed Suidas *κάβηξ. Εὐδο-*

dem sed primitivam esse probat. At utinamne vir doctissimus linguas incommode composuisset et turpiter confudisset!

[1]) Vid. Havercamp. Syllog. I p. 105 sq.: ibi recte Meckerhus animadvertit. „Cicero ad Attic. lib. IX. fundum suum Formianum vocat digamma, quod nomen eius ab *F* littera initium sumeret, cujus figuram et sonum repraesentat.“ De littera *f* vide supra p. 67 sqq.

[2]) Vid. Lexic. Hesychii, ibidem virorum doctissimorum annotationes ed. Alberti.

μήκοντα pro *ἑβδομήκοντα* (Corp. Inscr. Nr. 1845); *ναυατῶν, ναυβατῶν, ναβατῶν* (Hermann. Aeschyl. Prometh. II. p. 982), sic *Αὔδηρα* et *Ἄβδηρα, αὖρα* et *ἄβρα, καλαῦροψ* et *καλάβροψ, νάβλα* et *ναῦλα, λάβρος* et *λαῦρος*; (Eustath. Parecbol. ad Dion. Perieg. p. 55): *Ἰστέον δὲ — ὅτι Καλαβρία οὐ διὰ τῆς αυ διφθόγγου, ἀλλὰ διὰ τοῦ β γράφουσιν οἱ ἀκριβεῖς.* Sicut in vocabulis *ἄυως* et *ἔνασον* diphthongi *αυ* et *ευ* ut *αβ* et *εβ* pronuntiabantur, ita in his, *ἀγάω, ἀγαυὸς; ἀλέομαι, ἀλεύομαι; θέω, θεύω; ἐρέω, ἐρεύω, ἔρευνα; δοκέω, δοκεύω; δομέω, δομεύω; πνέω, πνεύσω; τέκω, τεύχω*[1]); *τελέω, τελετὴ, τελευτὴ; τυραννέω, τυραννεύω; σέω, σεύω; σπέω, σπεύδω; χέω, χεύω* etc.

Littera *υ*, ipsum digamma, ad Latinam *v*, non ad *u*, quae plena et crassa ut *ου* est, respondet, velut, *παῦρος, parvus; ναῦς, navis; Εὔϊος, Evius; Εὔανδρος, Evander; Ἀγαυὴ, Agave*, et fortasse *εὔνοια, υ* translato, *venia* etc. Sed Latini, cum consonans sequitur, duritiem, *u* pro *v* substituentes molliunt, ut *solvo, solutus; caveo, cautus; faveo, fautus;* sed Graeci nunquam, cum sonum *β*, peculiarem litterae *υ* vel digammi, in affinem *φ* mutantes duritiem prorsus evitent. Rectissime Boeckhius (Staatshaltung d. Athen. ed. rec. II. p. 74) animadvertit: „*Φ* ist dem digamma verwandter Laut wie in *φιδίτια* (*ἰδίτια* nimirum *Fεδίτια*)." Graecae igitur *αυ* et *ευ* non *au* et *eu* sed *ev* et *ev* pronuntiabant ut *Severus, Σευῆρος* et *Σεβῆρος; Aventinus, Αὐεντῖνος* et *Ἀβεντῖνος*;

---

[1]) Hic non *υ* in *φ* sed *κ* in *χ* mutatum est, nam in *υ* et digamma et spiritus asper inesse perspicuum est. Vid. supr. p. 77 sq.

item *Αὐενιὼν* (Strab. IV. 1, 85), Galli *Avignon; Avernus* h. e. *Ἄϝορνος* vel *Αὔορνος*. Confer Liscovius (p. 51 sqq.).

Satis quidem monuimus, litteras Graecas suavissimas et gratissimas esse, maxime *υ*[1]), nam tam dulcis et tenuis est, ut omittatur, sic Latini *Achilles, Ulixes* pro *Ἀχιλλεὺς, Ὀδυσσεὺς*; Graeci *ἀτὰρ* et *αὐτὰρ*, de qua re Mullach, vir eruditissimus, rectissime disputans copiam exemplorum inscriptionum congessit, quae afferam (de ling. vulg. Graec. p. 131), *καταδουλέατω* pro *καταδουλεύατω*, *ἑαμερὶς* pro *εὐαμερὶς*, *ἐπισκεάζειν* pro *ἐπισκευάζειν*, *σκεοθήκας* pro *σκευοθήκας*, *κατεσκέασεν* pro *κατεσκεύασεν*, *ἐπισκεάσαντα* pro *ἐπισκευάσαντα*, *κατασκεάσαντες* pro *κατασκευάσαντες*, *συνεαρεστεόντων* pro *συνευαρεστεόντων*, *ἀπελεθέρα* pro *ἀπελευθέρα*, *ἀναπάεται* pro *ἀναπαύεται*, *Ἀγοῦστα* pro *Αὐγοῦστα*, *ἑατῷ* pro *ἑαυτῷ*, *ἑατῶν* pro *ἑαυτῶν*, *βαυβᾷν κοιμᾶσθαι* etiam *βαβᾷν*. Confer etiam ibidem (p. 134), et Keil (Sylloge Inscription. Boeotic. 114 sq.), idem (Inscript. duas Spart. et Gythii p. 28), Schaefer (ad Gregor. Corinth. Index. Graec. p. 1062), ubi viri docti litteram *υ* diphthongorum omissam esse docent. Quare Cretenses *υ* sonum mollem et liquidum pro *λ* adhibent, ut *αὐκὰν, ἀλκὰν*; *αὐκύονα, ἀλκύονα*; *αὖσος, ἄλσος*; *θεύγεσθαι, θέλγεσθαι*; *αὐγεῖν, ἀλγεῖν*; *εὐθεῖν, ἐλθεῖν* (vide Ahrens d. dial. Dor. § 15, 5). Porro cum *υ* ad *β* respondeat, sicut *β*, ut supra (p. 59) diximus, cum *μ* mutatur, ita *υ*. Cujus rei testem virum sapientissimum Boeckhium (Staatshalt. d. Athen. ed. alter. II. p. 680) adhibeo. „Was die Doppelform *Δαύ-*

[1]) Vid. Quintilian. Inst. Or. XII, 10, 28.

νιον et *Δάμνιον* betrifft, so gehet *β* leicht in *μ* über wie *Σερβύλια* und *Σερμύλια*, *υ* und *β* aber wechseln leicht mit einander; mit anderen Worten: *Dawnion* wird zu *Damnion* (vide id. p. 704)."

Nonnulla verba pronuntiationem diphthongorum *αυ* et *ευ* tam *αβ* et *εβ* quam *αφ* et *εφ* indicant, ut *φλὲψ*, *φλεβὸς*, (Etym. Magn. 795) *φλεβάζοντες* — *ἀπὸ τοῦ φλέω ῥήματος*, Latini *fluo*, id est, *φλέFω*, *φλεύω*, *φλέβω*; item *φλέγω* (Etym. Magn.) *τοῦτο ἐκ τοῦ φλέω*, inde *φλὸξ* pro *φλὲξ* sicut *φόβος* pro *φέβος* et *φόως* pro *φάος*. (Etym. Magn. 794) *φόβος παρὰ τοῦ φέβω*, id est *φέFω*, *φεύω*, *φέβω*, (Hom. Il. *Θ*. v. 167) *φέβεσθαι*; item *φεύγω*. Porro *φάος*, *φάFος*, *φαῦος*, *φάβος*; *θλίβω* potius *θλάβω* ex *θλάFω*, *θλαύω*, et *τρίβω*, *τράFω*, *τραύω*, *τράβω*, et *θεάω*, *θαύω*, *θαῦμα*, *θάμβος*; *γράFω*, *gravo*, *γράβδην*, *γράφω*, h. e. *γράFω*, *γραύω*, *γράβω*, *γράφω*; sic *λαβεῖν* et *ἀπολαύειν*, *λάFω*, *λαύω*, *λάβω*; *στρέφω* ex *στρέFω*, *στρεύω*, *στρέβω* ut *στραβὸς* et *στρεβλὸς*; sic *δεύω* et *δέφω* etc. Inde *αυ* et *ευ* quae *αF* et *εF* sunt, rectissime ut *αβ* et *εβ* vel *αφ* et *εφ* pronuntiamus, nam *F*, quo communiter Graeci antiqui et Latini usi sunt, litteris *β* et *υ* atque *υ* et *f* aequum est, sic Aeoles *Fρακτὸς*, *βρακτὸς* Latini *fractus*, *ἄFρηκτος*, *αὔρηκτος* i. q. *ἄβρηκτος*, *infractus*. (Corp. Inscr. Nr. 1766) *ἀρχιδαΥΧναφορείσας* pro *ἀρχιδαΦναφορείσας* h. e. *ἀρχιδαφνηφορήσας*. Pro *αφ* secundum pronuntiationem *αυ* scriptum est, cum autem *αφ* asperius et durius audiatur quam *αυ*, littera *χ* adjecta *αυχ* pro *αφ* est. Pariter (Chishull. Antiqq. Asiat. pag. 16) *ἀFυτὸ* h. e. *αὐτὸ*, et digammo et littera *υ* scriptum est, cum, tenui littera *τ* sequente, ut

afto[1]) pronuntietur. Haec nostram pronuntiationem antiquissimam esse satis demonstrant. Attamen paucis verbis exemplisque rem quamquam jam evidentem absolvam. Psellus (de Operat. Daemon. ed. Boissonad. p. 109): ***Τὸ δὲ εὖ οἶ — συνθήματα ὀνομάτων ἐστὶ βαρβαριζόμενα ἐπὶ τελεταῖς — τὸ μὲν εὖ οἶ ἑλληνικώτερόν ἐστι, τὸ εὖ βοῖ βαρβαρικώτερον.*** Graecum vero ***εὖοῖ*** est, nam littera ***β*** adjecta barbara et inutilis est, cum sonus ***β*** in ***υ*** insit. In comoedia et in tragoedia exclamationes laetae, ut (Aristoph. Lysist. v. 1294) ***εὐοῖ εὐοῖ, εὐαῖ εὐαῖ,*** (Euripid. Troad. v. 326) ***εὐὰν εὐοῖ,*** (Demosth. d. Coron.) ***εὐοῖ σαβοῖ,*** sunt. Sin pro diphthongis ***αυ*** et ***ευ*** aliae vocales vel diphthongi substituuntur, cum in his sonus ***β*** non audiatur, littera ***β*** adjicitur, ut ***αἰβοῖ, σαβοῖ.*** Deinde falsum et horridum erit, si ***εὐοῖ εὐοῖ, εὐαῖ εὐαῖ*** per diaeresin ***ἐϋοῖ ἐϋοῖ, ἐϋαῖ ἐϋαῖ*** vel ***euoi euoi, euai euai,*** pronunties, nam ululatum miserabilem pro gaudio laetissimo exprimas. Latini ipsi ***evoe,*** non ***euoe*** dicunt; inde Bacchus ***Εὔϊος*** Latini ***Evius, Evan*** et verba ***εὐὰς, εὐάζω*** ceteraque profecta sunt. Vox laeta ***εὐοῖ*** barbarae originis est, non ut Hermannus (Sophocl. Trach. 218) imperativum Doricum esse conjecit. Plutarchus (Marcell. XXII), Triumphum, ait, ***Εὐὰν Ἕλληνες, ὄβαν δὲ Ῥωμαῖον καλοῦσιν,*** cum ***εὐὰν*** i. e. ***evan*** aeque atque

---

[1]) Salmasius in Vopiscum, n. 467; Placentinius (p. 135) ***ΑΦΤΟ*** pro ***ΑΥΤΟ***; Seyffarthus (p. 537), apud Photium ***Ἀφθαρίαται*** pro ***Αὐταρίαται*** invenitur. Posterioris aetatis exempla vide apud Liscovium (p. 108, p. 110); Placentinius (p. 136): „Hinc Clearchus apud Athenaeum ***νευρομήτρας*** vocat, quod Suidas scripsit ***νεφρομήτρας.***"

ovan sonet. *Ὄβαν δὲ οὐ παρὰ τὸν εὐασμὸν ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσι,* sed cum *ὄβα* i. e. *ovem* sacrificarent.

Cicero (de divinat. lib. II. cap. 40, 84) ait: „Cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas *Cauno* advectas vendens *Cauneas* clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, *caveret ne iret;* non fuisse periturum si omini paruisset.“ Ille in portu caricas vendens *Καυναίας,* profecto *cav'n'eas,* id est, *cave ne eas,* dicebat, minime autem *cau ne eas* nec per diaeresin *cay ne eas.* Copti etiam, qui litteras a Graecis acceperunt, pari modo diphthongos quasi *av* et *ev* et *af* et *ef* pronuntiant, vide Mynas Minoides (Calliope p. 56 et p. 101 sq.), qui auctorem libri (Rudiment. litt. copt. p. 45 sq.) citat.

Imitationes autem vocum animalium multi homines docti cum amore et gaudio quodam testes proferunt, ut (Aristoph. Vesp. v. 903) canis *αὖ αὖ,* quod potius *hav hav* vel *haf haf* quam *hau hau* vel *hay hay* est, non autem *wau,* quam litteram *w* vocabulum *αὖ* non continet. Vide etiam Georgiadem (p. 138). (Etym. Magn. p. 493, 46): *Καύηξ* — *ἀπὸ τοῦ λέγειν καῦ καῦ* i. e. *κὰβ κὰφ,* quod, cum Suidas *Κάβηξ* pro *Καύηξ* scripserit, *αυ* i. q. *αβ* esse, consentaneum est.

§ XIX. De ceteris diphthongis.

Diphthongos, quas *καταχρηστικὰς* Grammatici nuncupant, *ᾳ, ῃ, ῳ, υι,* uno sono prolatas esse, cum *ι* suscriptum habent, quod non auditur, monere necesse non est. Sextus Empiricus (adv. Math. ed. Bekk. p. 635) propterea recte animadvertit: *Οὐδὲν γὰρ βλαπτόμεθα,*

ἐάν τε σὺν τῷ ι γράφωμεν τὴν δοτικὴν ἢ μή. Confer (Anecd. Bekker p. 1187). Cum Iones aliaeque gentes nonnumquam illud ι pronuntiarent, ascribebant, velut, πατρώϊος, ὑπερώϊον, χρηΐζειν, (Gregor. Corinth. ed. Schaef. p. 441): τὸ μὴ ἐκφωνούμενον ι ἐκφωνεῖν, Ὅμηρος, Ἡσίοδος etc. Cum ι suscriberent, pronuntiatum non est, propterea rectissime Gregorius τὸ μὴ ἐκφωνούμενον ι dicit (confer Bloch p. 323 sq. et p. 264 sq.). Illud igitur ι pronuntiatum non est, sed suscribitur, ut priorem vocalem longam esse ostendat, sicut οϊ, ῳ; αϊ, ᾳ; εϊ, ῃ. Anecdot. Graec. Bekker p. 1187: τὸ ι ἀσθενέστερον ὑπάρχον πάντων τῶν φωνηέντων, ἡνίκα εὑρεθῇ μετὰ του α μακροῦ ἢ μετὰ τοῦ η ἢ μετὰ τοῦ ω ἐν μιᾷ συλλαβῇ οὐκ ἐξακούεται διὰ τὸ μέγεθος τούτων. Sub υ littera ι non scribitur, ut υι; hoc υι ut longum υ profertur, velut μυῖα, υἱὸς, uno autem sono, id quod annominatio faceta philosophi cynici Diogenis docet (Diogen. Laert. vit. Diogen. III. c. 7): Ἐν Μεγαρεῦσιν ἰδὼν Διογένης τὰ πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνοὺς, ἔφη, λυσιτελέστερόν ἐστι Μεγαρέως εἶναι κριὸν ἢ υἱόν. Pariter υ et ωυ, θωῦμα, ubi cum υ mutum sit, θῶμα sine υ quoque scriptum invenitur. Si vero pronunties, non aliter quam per diaeresin, θώϋμα quasi *thoyma*, minime *thovma* vel *thofma*, ut perperam Georgiades (p. 148) tradit; nam Iones, ut supra p. 28 diximus, secundum eorum naturam, υ quod vice digammi fungitur, in vocalem purum υ i. e. sibilum ι convertebant, sic ὠὐτὸς pro αὐτὸς aut ωὑτὸς simili ratione atque οὗτος.

De his diphthongis cum fere omnes viri docti con-

sentiant, disputare supersedeo. (Vide Strabo XIV. p. 648; Liscovius p. 46 sqq.; Georg. Choeroboscus in Anecd. Bekk. III. p. 1186.)

PERORATIO.

Ex lingua Graeca ipsa pronuntiationem statuimus, nec raro Latinam consuluimus, tamen nec temere nec inconsulte; ex hac Graecam explicavimus, sed tantum ubi ambae consentiunt, veritatem hausimus; ubi discrepant, utriusque usum proprium et rationem peculiarem praevaluisse intelleximus, quippe cum Latina Graecae duntaxat affinis, haud eadem sit. (Dionys. Halicarnass. Antiq. p. 76), *Ῥωμαῖοι δὲ, φωνὴν μὲν οὔτ᾽ ἄκραν βάρβαρον οὐδ᾽ ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν.* Si pronuntiationem linguae Graecae, quam absolvimus, respicimus, illam linguam, quam Quintilianus jucundissimam et dulcissimam esse laudat, prorsus agnoscimus. (Inst. Or. XII, 10, 27): „Latina mihi facundia, ut inventione, dispositione, consilio, ceteris hujus generis artibus similis Graecae ac prorsus discipula ejus videtur, ita circa rationem eloquendi vix habere imitationis locum. Namque est ipsis statim *durior,* quando et *jucundissimas* ex *Graecis* litteras non habemus, *vocalem alteram alteram consonantem,* quibus *nullae apud eos dulcius spirant,* quas mutuari solemus, quotiens illorum nominibus utimur.“ Attamen hanc pronuntiationem Graecorum viri eruditi oppugnaverunt, scilicet propter hanc ipsam nimiam dulcedinem et sonorum jucundam varietatem, quae a Latina dura et horrida discrepat. Plerique ignorantes sonum *ι* offenduntur. Quam ob cau-

sam? Nonne soni, *ι, υ, η, ει, οι* distinguuntur? Copiose hac de re disputavi ac nunc et hos varios esse et siquis eos aequaliter pronuntiet, sive Graecus sive barbarus, eum antiquo more Graeco locutum non esse, affirmo. Illi soni *I*, quos memoravimus, *ι* tenuissimum, *H* longum, *ει* longum sono quoque *ε* mixtum, *υ* argutum et sibilum, *οι* crassum et rotundum, *ι* sunt. Quo modo, quaeso, hi soni iidem paresque sunt? Quo ab indole Graeca discrepant? Falsissime natio eruditissima Germanorum pronuntiationem deliciis abjectis depravavit. Quasi furibunda in sonos *ι* admodum numerosos saevit, propterea furore quodam incensa linguam lacerat et discerpit. Qua ratione sagacissima secta Erasmi sonos *ι* evitavit? Litteram *H* ut *E* vel *EE* pronuntiando et diphthongos dividendo. Quantam copiam hiantium sonorum *ι* ille vir elegantissimus, *ι, υ, αϊ, εϊ, οϊ, υϊ, αϋ, εϋ, ηϋ, ωϋ,* cumulavit! Litteram *υ* non ut docuimus, sed ut Latinam *u*, igitur *αυ* et *ευ* ut *aü* et *eü* prolatam esse praecipit. Quibus sonis duris et horridis et barbaris Quintilianus (Inst. Or. XII, 10, 18) Graeciam carere docet. Frustra Minerva indignabunda tibias abjecit, quae nunc inflatu tumescit! Linguam vero Graecam philologi legendo non loquendo praecipientes tam horridam reddiderunt, ut verba Quintiliani non veritatem sed oratarium ornamentum continere viderentur (XII, 10, 33): „Tanto est sermo Graecus Latino jucundior, ut nostri poetae, quotiens dulce carmen esse voluerint, illorum id nominibus exornent."

Ex monumentis antiquis modum rectum linguae Graecae pronuntiandae mei sensus et judicii rationem

non ut alii[1]) habens indicavi, propterea praecepta recentiorum[2]) praetermitto, quae, quantum discrepant, tantum falsa sunt. Etenim cum vir summae doctrinae Hermannus se ipsum prope ridendum ac despiciendum nostra-

---

[1]) Vide Liskovius, Aussprache des Griech. et Bloch p. 299 sq. et p. 339 sq. et Télfy p. 107.

[2]) Havercamp Syllog. I scriptor. de ling. Graec. pronunt. p. 32 sqq. Ibi Adolphus Mecerchus instar viri linguae Graecae peritissimi et urbanitate et sapientia praediti, praeter alia haec affert: „Et quum tria in dicendo maxime solumque spectentur, docere, afficere, movere: docere propter confusionem, delectare propter similitudinem, movere propter exilitatem dicendi nemo poterit.“ Nos igitur indoctos, immotos, impatientes, tranquillos esse necesse est, quod cogitare quoque absurdum est. Hic vir *ἀγαοίαν* quandam nobis tribuere videtur, qualis certe ad linguam Graecam, ut docui, non pertinet, sed ad veterem illam quidem nomine tantum, re vera autem Erasmianam, qua nunc Germani loquuntur sive rectius eam legunt, qui nec docere viva voce nisi litteris scriptis, nec delectare propter nimiam copiam sonorum hiantium, nec movere possunt, cum auditor, quid verba significent, non intelligat, nisi forte gravitate sonorum et vocis intentione, sicut aliquis puerum infantem audiens clamantem vel ridentem commovetur. Porro (ibid. p. 32) *Ἦτα, σεμνὸν* i. e. grave non esse, scilicet apud Graecos re vera antiquos, de quibus duntaxat agitur, facile discere possis, cum tragoediam quandam vel carmen Pindaricum legeris, in quibus *η* in *α* non ad libidinem, sed ut oratio gravis et valida et sublimis fiat, mutatur. Si testem desideres, Aristidem Quintilianum (II. p. 93) supra (p. 22, 25, 91 sq.) memoravi (vid. Boeckh de metr. Pindar. lib. III. c. XVIII. p. 291), sin hic vir doctissimus et antiquae disciplinae peritissimus tibi nihil valebit, nescio quis veterum te edocturus sit. Nimirum cum, vir docte, *η* non longum *ι* sed longum *ε* sonum effeminatum et vehementem et lugubrem edere tibi valde mirum videatur, sollerter ratione oratoris non philosophi Demosthenis

tibus praebeat, quantum tandem illa *δαιμονία* et *θαυμασία* secta Erasmi? Hermanni verba acerbissima tumore summae sapientiae inflati haec sunt: „Illorum quidem sententia, qui cum hodierna Graecae linguae pronuntiatione veterem conspirasse putant, merito ita jam a viris doctis contempta est, ut, si quis hodie eam defendere auderet, *ridendum se* ac *despiciendum* praebere videretur. Erasmi autem secta, *saniore* usa *judicio,* etsi haud dubie veram ingressa viam[1]) est etc.“ — Sed viri docti valde hac certe in re indocti sunt, et

et Platonis exempla affers, non demonstrando, hos ipsos viros excellentissimos linguam Graecam re vera, tua quidem opinione, pronuntiasse. Ne plura: nam si sententias Meckerchi ejusque consortium recenserem, finem fastidiosae meae operae longius removerem, cum fere omne dictum falsum sit, et inprimis error augeatur, cum hi viri, praeterquam quod *η* longum *ε* esse volunt, exile et humile *ι* a longo et producto *ι* minime distinguant, tum credant suo ipsorum modo etiam Graecos et maxime antiquissimos cogitasse, qui tamen admodum differunt. Propterea saepe ex sua mente, aspersis sententiis et testimoniis veterum discrepantibus, qui scilicet cum iis, si vera docent, consentire debent, pro suis viribus et sensibus et modis recentissimae disciplinae antiquam linguam construunt, quae tanquam corpus mortuum quod formam potissimum hominis Graeci tamen nec animam nec vocem indicat, ei et animam et vocem inspirant, videlicet non Graecam sed Germanam suasque ceterae nationes.

[1]) Re vera Erasmi doctrina ex ipsius dialogis jocus quidam videtur esse, ut ita dicam, *παιδιὰ* quam hodie homines docti *παιδείαν* reddiderunt. Cujus doctrinae originem vide in Orationibus Apologeticis linguae Graecae Joh. Rudolphi Wettstenii (p. 114 sq.); et Thomas Stanisl. Velastus (dissertat. de litter. Graec. pronunt. p. 42 sqq.). Placentinius (p. 138). Confer Elissen (Verhandl. der 13. Versamml. d. Philolog. in Götting. p. 108 sq.).

secta Erasmi pravo judicio falsam viam ingressa est, (vide Bloch p. 301 et Liscovius p. 9), qui quod docent, vel ipsi ignorant, cum inter se summo errore vagantes discrepent, ac tam vecordes sunt, ut non solum linguam Latinam eandem ac Graecam sed etiam quasi exemplum Graecae, et linguam hodiernam Germanorum majoris momenti quam hodiernam Graecam in ratione pronuntiandi esse, existiment. Rectissime Pouqueville (Voyage en Morée etc. pendant les années 1798—1801 à Paris. Tom. I p. 339), qui Graecos loquentes audivit, rerum peritus, ardore quodam inflammatus, haec recitat: „Vainement les scholastiques par des savants dissertations, voudraient faire prévaloir les hiatus et les croassements d'une prononciation dure et barbare; tout homme sans prévention, tout homme né avec une oreille musicale s'eloignera d'eux, pour entendre lire par un Grec, notre contemporain, les harangues de Démosthènes, les douces modulations d'Anacréon, ou les tableaux brillants du chantre d'Ilion etc." Nonnulli tandem ex lethargia experrecti se excusant, hunc modum pronuntiandae linguae utilem quidem si non verum, docentes. Quonam modo utilis? Quod, hominem Germanum, si quis suo more Graece loquentem audiat, nisi codicem orationis scriptum inspectet, nullo modo intelliget? Qui Latine loquitur, a linguae perito statim intelligitur, haudquaquam, qui Graece loquitur, nisi forte a se. Pariter ac si quis Francogallica Germano modo, cum suam ipsam linguam mensuram rectae pronuntiationis habeat, proferat, ne a peritissimo quidem intelligetur. Ne plura: Mirum quantum falluntur, qui Graecam lingua Germana metiuntur. Nonnulli autem veram pronuntia-

tionis rationem esse Latinam existimant. Sunt qui voces bestiarum sequuntur, velut porcorum *κοΐ κοΐ*, qui, nunquam fortasse Graecum loquentem quum audiverint, nos *κὶ κὶ* eloqui docent, quippe qui per diaeresin *κοΐ κοΐ* dicamus. Sic ranarum *βρεκεκὲξ*, quas *brekekex* vel *μπρεκεκὲξ* vociferari docent[1]), et cetera ut canum *αὖ αὖ*, quae jam satis memoravi. Cujus sectae Erasmianae, quae saniore judicio veram viam haud dubie ingressa esse praedicatur, exemplum Boettiger affero, qui in supra laudato libello (vide Bloch p. 286) haec dicit: „Sie sind die einzigen noch fortlebenden Zeugen (i. e. Schaafe, Ziegen, Hunde und Schweine) für die wahre Aussprache des *η*, *αυ* und *οι*, ob wir sie gleich nicht zu unseren Sprachmeistern bestellen wollen.“ Haec secta Erasmi a sophista Protagora, qui hominem modum veritatis rerum esse docebat, non multum differt, nisi quod ille hominem tantum non bestias quoque esse praecipiebat. De qua re Plato miratus est, cujus verba, cum quodammodo sectam ingeniosam Erasmi significent, quae veram pronuntiationem Graecam protenus ratione sensuum et animalium statuit, affero (Theaet. p. 161 *C.*): *Τὴν δὲ ἀρχὴν τοῦ λόγου τεθαύμακα, ὅτι οὐκ εἶπεν ἀρχόμενος τῆς ἀληθείας, ὅτι πάντων χρημάτων μέτρον ἐστὶν ὗς ἢ κυνοκέφαλος ἤ ὅτι ἄλλο ἀτοπώτερον τῶν ἐχόντων αἴσθη-ἵνα μεγαλοπρεπῶς καὶ καταφρονητικῶς ἤρξατο λέ-ἐνδεικνύμενος ὅτι ἡμεῖς μὲν αὐτὸν ὥσπερ θεὸν ἐθαυμάζομεν ἐπὶ σοφίᾳ, ὁ δ' ἄρα ἐτύγχανεν ὢν εἰς φρόνησιν οὐδὲν βελτίον βατράχου γυρίνου, μὴ ὅτι ἄλλου του ἀνθρώπων.*

[1]) Havercamp. Syllog. I p. 451.